
INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE RI TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY



Henry Theophilus Clark

PATRES ECCLESIÆ ANGLICANÆ

ALREADY PUBLISHED.

vol.

1 Aldhelmi Opera

2 Ven. Bedæ Vita et Poe.

3 ———— Hist. Ecc.

4 ———— Hist. Ecc.

5 ———— Opus. Hist.

6 ———— Homiliæ

7 ———— Opus. Scien.

8—13—— Comm. in Scrip. Sacras.

14 S. Bonifacii Epistolæ

15 ———— Opuscula

16—19 Elfric

vol.

20 Dunstan

21—26 Alcuin

27 Lanfranci Epistolæ &c.

28 ———— Opuscula

29—34 Anselm

35 Arnulfi Epistolæ

36—41 Becket and G. Foliot

42—45 J. Salesberiensis

46—49 Pet. Bles.

50 R. Bacon

N.B. Two labels will be given with each volume, one for the use of those who take the series complete, the other for each author separately.

PATRES
ECCLESIÆ
ANGLICANÆ.
—
ED. J. A. GILES.
—
XXXV.
ARNULFI
LEXOVIENSIS
OP. OMNIA.

PATRES ECCLESIÆ ANGLICANÆ:

ALDHELMUS, BEDA, BONIFACIUS, ALCUINUS,
LANFRANCUS, ANSELMUS, S. THOMAS,
JOANNES SALESBERIENSIS, PETRUS
BLESENSIS, ROGERUS BACONUS,
ET RELIQUI.

ARNULFI
LEXOVIENSIS EPISCOPI
EPISTOLÆ

AD HENRICUM II. REGEM ANGLIÆ

SANCTUM THOMAM ARCH. CANT.

ET ALIOS.

E CODICE MANUSCRIPTO

QUI IN COLLEGIO S. JOHANNIS BAPTISTÆ

OXON. SERVATUR,

EDIDIT J. A. GILES, LL.D.,

ECCLESIÆ ANGLICANÆ PRESBYTER,

ET COLL. CORP. CHR. OXON. OLIM SOCIUS.

OXONII:

J. H. PARKER.

MDCCCXLIV.

OXONII:
EXCUDEBAT I. SHRIMPTON.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Reverendo et spectatissimo fratri Philippo Wynter, venerabilis Academiæ Oxoniensis Vice-cancellario, et Collegii Sancti Joannis Baptistæ Præsidi, cæterisque egregiis viris et bonis fratribus suis in eodem collegio degentibus, Joannes A. Giles, humilis eorum consacerdos Salutem et ad omnia servitium!

Quanto gaudio, quali mentis exultatione afficerer, quum librum istum eximium, cujus mihi vestra fraternitas usum præbuerat, iterum oculis percurrerem, nemini, nisi ei soli e vestra sodalitate, qui librum in meas manus tradidit, facile esset conjicere. Nec enim multum temporis in examine istius codicis occupatus, inveni epistolas illas quæ in hoc libro in lucem prodeunt, stylo haud ineleganti scriptas et ad celeberrimos quamplures viros, inter quos sunt Henricus II. rex Angliæ, Sanctus Thomas et Gilbertus Londoniensis, directas, nec unquam, quod sciam, in mundum editas.

Vobis igitur, viri reverendi et carissimi, ut decet, reddo munus quod vestra fraternitas mihi obtulit: obnixiusque imploro ut Episcopus Arnulfus sub vestra tutela eas laudes, quas mihi nullas debere poterit, merito consequatur. Valeat Fraternitas vestra. Datum Oxon. an. in. Dom. 1844, Ind. II.

PREFACE.

The connection which formerly existed between England and Normandy, renders it unnecessary to make an apology for classing a Norman Bishop among the Fathers of the early Anglican Church. Arnulf, Bishop of Lisieux, was moreover personally connected with Henry II. of England, and his letters give us particulars relating to the ecclesiastical affairs of Henry's foreign territories, not found elsewhere. He has however another claim on our notice, for during his episcopacy, Becket, that remarkable Archbishop, whose career is like a romance in the historical annals of our country, was doomed to suffer an exile of six tedious years in the dominions of the French king. The Church and indeed the whole of Europe, was in agitation during all this time. Sovereigns, Bishops, and Cardinals, in vain attempted to establish peace between the King and the Archbishop: the contending parties were both unfortunately too well convinced of the justice of their cause, and of the sincerity of their motives. Theirs was a contest not of detail,

but of principles: the one had by his extraordinary genius established a sovereignty which enabled him to dictate to all his contemporaries, and by the force of his intellect saw that certain reforms in the constitution could not fail to benefit his subjects. But he asserted these views prematurely: the age was not sufficiently advanced to receive them; and for this reason the Archbishop, elevated without time to reflect on the duties which he was so suddenly called upon to discharge, may well be pardoned, if he at once intrenched himself in the prerogatives which the see of Canterbury had from time immemorial enjoyed. If therefore the King outstripped his age, Becket only kept on a level with it, and did no more than assert right, which in the unfitness of the times it would have been hazardous to resign into the hands of the uncertain law of the land. Every record which bears upon this quarrel between the spiritual and temporal powers is worthy of preservation, and as Arnulf also exerted himself to reconcile the contending parties, the letters contained in this volume possess an interest of which it is impossible to divest them.

It is not necessary in this place to give many particulars of the life of Arnulf, which in general concerns the ecclesiastical history of France. The following facts are sufficient for our present purpose. He became Bishop of

Lisieux after much opposition, through which he was supported by the Pope, in the year 1141, and ruled the diocese of Lisieux during the long period of forty years. In the early part of his time he seems to have gone on the Crusade, but of this event in his life we know little more than the bare fact. He became acquainted with Becket whilst the latter was Chancellor, and a letter is now first published in which he cautions the rising statesman of the perils by which courtiers are surrounded. His zeal in the cause of his diocese led him to incur heavy debts, which apparently never were discharged. This fact is now known for the first time, as the letters relating to it have never before been published. The last two or three years of his life were passed in the community of St. Victor's at Paris, whither he retired, when at the repeated instigation of King Henry II. he was compelled to resign his bishopric.

Seventy-one of the letters of Arnulf were published at Paris ex Bibliotheca Odonis Turnebi Hadriani F. 8vo. 1585, and repeated in the Bibliotheca Patrum. Two or three are also found in Bouquet's Scriptores rerum Francicarum, D'Achery's Spicilegium, and Vita et Epistolæ Divi Thomæ: but the number is now almost doubled by the discovery of a very early MS., lent to the Editor by Dr. Wynter, the

President of St. John's College, and Vice-Chancellor of the University of Oxford.

The whole of this valuable MS. has been carefully collated, and the Poems and Sermons of Arnulf, found in the former edition, have also been added, together with *Tractatus de schismate orto &c.* written when the author was at Rome in 1131, during the time of the schism about the election of a pope.

This has been done in order that the volume may contain a complete collection of the writings of Arnulf, and it is hoped that by the timely discovery of the St. John's College MS. such intention has been successfully accomplished.

J. A. G.

C. C. C. Oxon. *Sept.* 1844.

ORDO EPISTOLARUM ALPHABETICUS.

A. Ord. huj. edit.—B. Ord. edit. Paris.

ARNULFI
LEXOVIENSIS EPISCOPI
OPERA QUÆ EXTANT OMNIA.

I. HOMILIÆ.

1. SERMO HABITUS IN CONCILIO TURONENSI.

P*RÆFATIO ad Ægidium Rotomagensem Archidiaconum.*—Sermonem habitum in Concilio Turonensi scripto tradere, quorundam precatione compulsus sum, qui licet in proximo consistentes, ea quæ dicta sunt multitudinis obsistente tumultu, nec satis audire, nec intelligere potuerunt. Feci quod rogatus sum, sed invitus: quia quædam sunt quorum simplex pronunciatio plus favoris, quam laudis diligens inspectio promeretur. In his enim quæ in commune dicenda sunt, communi convenit intelligentiæ deservire, ut omnia quæ dicuntur omnium statim capiat intellectus, ideoque verbis prope communibus decurrit oratio, ne subtilius artificium lucem rerum et verborum, quasi nube quadam difficultatis obducat. Et quia tractatus ejusmodi ad movendos plerumque destinatur affectus, oportet quasi cæsuris frequentibus, et brevioribus articulis incitare sermonem, ne longioribus periodis torpescat oratio, sed animus velut interpellatione commotus assurgat. Si igitur animus ad aliquid intellectu

disponente movendus est, sermonis prorsus est observanda serenitas, quoniam tenebræ plus semper odii contrahunt quam favoris, sæpiusque pes incedentis offenditur, nisi prævio dirigatur aspectu. In his vero quæ scribuntur, videntur quasi cum fiducia quadam legentium provocari judicia, nec tam formandis affectibus verba componi, quam examinationi publicæ, quæ palam proponuntur exponi. Siquidem in his quæ proponuntur oculis frequens celebratur inspectio, et modo fructus sententiæ, modo cultus orationis exquiritur, ut spatiose possint merita studiorum adhibita rationis æstimatione pensari. In aliis vero discussionis moram celeritas pronunciationis excludit, ubi currentis linguæ lubricum vix celeri etiam consequimur intellectu, et sæpe quod incitatius dicitur, desides vehementius excitat, et informat affectus. Super quo non videbantur mihi in scripturam redigenda quæ dicta sunt, sed sicut tanquam ex tempore dicta sunt, ita statim cum tempore præterirent, quoniam eis cum dicerentur gratiam potius ministravit occasio, quam cujuslibet peritia facultatis. Tempore siquidem schismatis agebatur quod in diebus istis, maxime adversus libertatem Ecclesiæ Dei, sæcularis potentiæ firmavit audaciam: ideoque nos diligentius de unitate et libertate tractavimus, ut animos eorum qui aderant ad insistendum consolatio firmiores redderet, et ad resistendum exhortatio fortiores. Lege itaque, adhibita tamen dilectionis indulgentia qua cœpisti, ut scilicet imperfectum meum videant oculi tui, nec ad exactum quod legeris producatur examen, sed semper media benignius æquitate cognoscas.

Sermo.

Hodiernum sermonem, domini et patres mei, mihi domini nostri qui præsidet, Romani videlicet Ponti-

ficis, injungit auctoritas. Et ego quidem munus injunctum magis de necessitate obedientiæ, quam de animi voluntate suscipio. Mallem ut in alium declinasset ista dignatio, cujus et vita commendabilior esset, et major tam scientiæ quam eloquentiæ plenitudo. Quis enim ego sum, qui in auribus tot, tam prudentium, tam venerabilium personarum quemlibet mihi debeam usurpare sermonem? Sed et quis ego sum, qui mandato Romani Pontificis audeam obviare? Angustiæ mihi sunt undique. Inter verecundiam et necessitatem constitutus sum. Altera me monet ut sileam, altera quasi quadam violentia pertrahit ad loquendum. Obediendum enim est sine mora, sed verecundia linguam reprimit, obstruit intellectum, et a facie reverentiæ vestræ stupore quodam reddit pavidum et confusum. Scio enim quia tria solent in prædicatore requiri, sanctitas conversationis, plenitudo scientiæ, fœcundior eloquentiæ vena. Sanctitas conversationis inquiritur, quia nisi fuerit prædicatoris commendabilis vita, non erit ejus prædicatio gratiosa. Cujus enim vita contemnitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Timere enim habet ne forte incipientem loqui statim vox divina reprimat, et condemnet: Quare tu enarras justitias meas, qui projecisti sermones meos retrorsum? Perfectio scientiæ quæritur, ut habeat prædicator unde possit de thesauro cordis sui proferre nova et vetera, et eruditum noverit expectantibus explicare sermonem, et secundum personarum qualitates temperare, quod dixerit, ut sciat quibus debeat lac potum dare non escam, quibus solidiorem cibum habeat ministrare. Eloquentia desideratur. Ad quid? Quia sicut si non habuerit scientiam, non habebit quid dicat, ita nisi habuerit eloquentiam, non habebit quo modo dicat. Utrunque autem necessarium est, et habere quid

dicas, et scire quomodo dicas. Sententiarum siquidem excellentia sermonis elegantiam quærit, ut verborum dignitas rerum majestati respondeat, et sibi invicem quasi concentu quodam res et verba concurrant. Ita est ut sermo prædicatoris omni acceptione dignus sit, requiritur in prædicatore religio ad reverentiam sermonis, scientia ad doctrinam, eloquentia ut commendet ad gratiam. Ut scilicet sermo sanctus sit, prudens sit, illustris sit. Ego vero qui vobis producor in medium, nihil habeo penes me, nisi conscientiam peccatricem, minorem scientiam, eloquentiam imperfectam. Et ideo opportunius mihi fuerat silere quam loqui, pasci quam pascere, et aures vobis potius exhibere quam linguam. Nulla mihi in memetipso fiducia est, sed ad sanctitatem præcipientis, et merita vestra convertor. Quibus intercedentibus, aliquid mihi fortassis largietur gratia illius qui dixit: Aperi os tuum, et ego adimplebo illud. Os meum obedientiæ necessitas aperit, utinam gratia ejus per merita vestra sermone adimpleat opportuno. In omni itaque sermone, domini et patres mei carissimi, videtur mihi, quia circa id quod principaliter intenditur duo sunt studiosius observanda, causa scilicet et tempus. Et causam quidem ratio subministrat, tempus autem opportunum reddit occasio. Occasio autem est opportunitas sumpta ex tempore, sicut viro placuit eloquenti. Ita est. Nisi id quod dicitur causam de ratione contrahat evidentem, ipsum ducitur otiosum. Si importune dictum fuerit, reputatur infestum. Quæ autem otiosa vel infesta sunt, raro desideratos assequuntur eventus. Et ideo cum multa de scriptis sanctis possent utiliter ac probabiliter in commune proferri, ad ea potissimum sermo convertendus est, ad quæ nos et urgens necessitas impellit, et evidens invitat utilitas. Ad quid? Ad tentandum vobiscum

de unitate et libertate Ecclesiæ Dei. Sine his enim duabus non potest Ecclesia salva consistere, sed nec consistere quidem: quia nisi Ecclesia habuerit unitatem, non erit una. Si una non fuerit, non erit: omne enim quod est, ideo est, quia unum est: quod autem unum non est, amittit pariter cum unitate substantiam. Item, nisi habuerit libertatem, misera erit: pro eodem autem ei est miseram esse, et non esse: immo deterius est miseram esse, quam non esse. Melius, inquit, ei erat si natus non fuisset homo ille. de Juda dictum est, quoniam melius erat ei natum non esse, quam ad ejusmodi miseriam natum esse. Ideo, domini et patres carissimi, ut status Ecclesiæ conservetur incolumis, oportet unitati ejus et libertati sollicite provideri. Utraque enim his diebus, hac tempestate, sicut nos miserabiliter experimur, multis urgetur incommodis, multis injuriis infestatur, quia alteram scindere nititur schismaticorum ambitio, alteram quærit auferre violentia tyrannorum. Utrumque tamen eis per Dei gratiam impossibile erit. Impossibile siquidem est, spirituale Ecclesiasticæ unitatis scindere sacramentum quod inter Christum et Ecclesiam, ipso patre auctore, indissolubili fœdere connexum est et firmatum. Impossibile est suam Ecclesiæ Dei tollere libertatem, quam dominici sanguinis consecravit effusio. Licet enim paleæ de area Domini quandoque ventilabro levitatis aut vanitatis avolent et abscedant, propter abscessum tamen earum non minuitur fructus areæ, sed purgatur. Item, licet Principes tenebrarum adversus Ecclesiam Dei vehementer insurgant, portæ tamen inferi adversus eam prævalere non possunt. Ita, domini mei, salva nobis semper est unitas, salva semper est libertas Ecclesiæ, quia neque tunica inconsutilis scindi potest, neque Christi sanguis in irritum devocari. Et licet exierint

a nobis aliqui qui nobiscum erant, sed de nobis non erant, non est scissa tamen veritas unitatis propter eos, quos separavit a nobis propriæ malitia pravitatis. Et licet ii quos diximus tyranni terrarum circa temporalia bona, et ipsa etiam corpora nostra desæviant, ut edant carnes nostras, infirmantur et cadunt. Et si circa diripiendas inutiles sarcinas occupantur, Ecclesia tamen Dei nihilominus quæ disponenda sunt libera potestate disponit; immo etiam ipsos, quasi servos nequam, spirituali potestate retrudit in carcerem, ubi eos nimirum, quasi compedibus quibusdam, vinculo anathematis, et opprobrio perpetuæ maledictionis astringit. In quo etiam laudabile videtur operari virtus divina miraculum, dum nobis in unitate nostra et libertate degentibus, ipsi se solos ab unitate catholica separant, et detestandæ subjiciunt servituti. Nos tamen, carissimi fratres et domini, non debemus malum pro malo reddere, neque vinci a malo, sed vincere in bono malum: et ideo ad revocationem eorum qui foris sunt summa charitate debemus intendere, ut ipsi unitati nostræ possint, Domino miserante, connecti, quatenus ii qui quietem Ecclesiasticæ libertatis impugnant, meliore ducti consilio resipiscant, et tam de revocatione eorum quam istorum pœnitentia crescat fœcunditas unitatis, et inconcussa servetur desiderandæ tranquillitas libertatis. Ad hoc scilicet omnem nos convenit diligentiam adhibere, omnem propter hoc sustinere vexationem, omne periculum experiri. Hoc enim speciale debitum nostræ professionis est: Episcopi sumus. Ad hoc sacramentis Ecclesiasticis sanctificari volumus, ditari beneficiis, honoribus illustrari. Ex ea etiam causa hic primas obtinemus in Concilio cathedras, primos in cœnis recubitus, salutationes in foro. Ex eadem causa populorum nobis multitudines inclinantur, ut de manu

nostra partem aliquam commissæ nobis benedictionis accipiant. Quærunt enim accipere de plenitudine nostra, quod nos accepimus de plenitudine Christi. Hic ordo est: unguentum præcedit in capite: A capite descendit in barbam, barbam quidem Aaron: A barba usque in oram vestimenti defluxit. A capite, scilicet Christo, in barbam, scilicet Prælatos Ecclesiæ: a Prælatis in populum, in subjectos. In capite autem omnis perfectionis est plenitudo, omnis perfectio plenitudinis. In ipso enim inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, solidæ scilicet et perfectæ. In ipso omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. In ipso totus Spiritus Patris. Nihil ibi perfectioni detractum est. Nihil ibi plenitudini derogatum: et de plenitudine ista nos omnes accepimus, majores et minores. De plenitudine quidem, sed non plenitudinem ipsam, sibi enim plenitudinem reservavit. Circa nos autem divisiones gratiarum factæ sunt: Unus autem est Spiritus, qui operatur omnia in omnibus, non omnia in singulis; dividit enim singulis, prout vult. Ubi enim vult spirat, et quantum vult inspirat. Nos autem in medio constituti inter Christum et populum, privilegium gratiæ consequuti sumus, et prærogativam dignitatis adepti. Privilegium gratiæ, quia prius et copiosius nobis infunditur, quod a nobis in alios transfundatur. Prærogativam dignitatis, quoniam superiores et propinquiores sumus. Superiores, quoniam constituti sumus Principes super omnem terram. Constitues eos, inquit, Principes super omnem terram. De Apostolis dictum est: utique et de nobis, qui loca Apostolorum minoribus re vera meritis, sed majoribus consolationibus obtinemus. Qualis autem est hic principatus noster? utique sublimis et fortis. Nimis, inquit Propheta, honorati sunt amici tui Deus, nimis con-

fortatus est principatus eorum. Propinquiores sumus: amicos siquidem nos appellat, et ad argumentum propensioris amicitiæ indultam nobis, non partem sed copiam totius familiaritatis ostendit. Jam non dicam, inquit, vos servos, sed amicos meos, quia omnia quæ audivi a patre meo nota feci vobis. Verum est. Nobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant. Nos habemus oculos intuendi, et aures audiendi. Multæ et magnæ sunt circa nos dignationes tuæ, bone Jesu, multa et inæstimabilia beneficia tua. Gratia tua ultro nos prævenit et subsequitur, nihil aut parum est quod meritis nostris arrogare possimus, cum tu gratiam per gratiam semper effusa munificentia largiaris. Quid ergo retribuemus tibi? quid retribuam, inquit, Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Quæritne sibi restitui? quærit revera, quoniam gravis etiam exactor est. Non convenit debitorem suum in sortem tantum, sed etiam in usuras. Quare, inquit, non posuisti pecuniam meam ad mensam, ut cum redirem utique, cum usuris eam exegissem a te? Quia ergo sibi retribui quærit, consulamus Prophetam, quid tantæ majestati digne possit in causam retributionis offerri. Expedit nobis ut qui nos de qualitate nostri principatus edocuit, nihilominus de quantitate retributionis edoceat. Oportet enim ut quod nomine retributionis offertur, ad honorem cedat, accedat ad gratiam. Alioquin non parit gratiam, sed offensam. Audiamus ergo quid dicat: Constitues eos Principes super omnem terram. Ecce meritum ejus circa nos: quid autem sibi retribui quærat, consequenter adjungit: Memores erunt nominis tui, Domine. Memoriam nominis sui tantum sibi quærit nomine retributionis offerri. Cujus nominis? nempe

multa nomina habet. Habet quædam nomina de veteri instrumento significationis absconditæ, habet quædam ad novum specialius pertinentia testamentum, suavitatem redolentia, exhibentia gratiam. Quæ quamvis constet originem traxisse de veteri, plus tamen celebritatis et frequentiæ de præsenti novitate sumpserunt. Quæ sunt illa? Jesus Christus: Jesus interpretatur salvator, Christus unctus. Ubi unctio, ibi suavitas: manifeste nomen istud Christus suavitatem redolet unctionis; Jesus salutis gratiam repromittit. Credo tamen quod in hoc loco Propheta aliud nomen quærat intelligi, quoniam nomina illa propter suavitatem et gratiam, devotionem quidem et fiduciam præstant: hic vero alterius cujusdam nominis memoriam quærit, cujus severitas nobis cautelam diligentiæ, et timorem reverentiæ donet. Quod est illud? Deus. Deus interpretatur timor. Ipse autem in hoc loco timentes esse nos exigit et prudentes. Commisit enim nobis hæreditatem suam, quam nisi timentibus non committit. Dedisti, inquit, hæreditatem timentibus nomen tuum, Domine. Hæreditas autem ejus illa est, quam ipse a patre merito et postulatione passionis accepit. Postula, inquit, a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam: hæreditas autem hæc universitas fidelium est, quæ nomine censetur Ecclesiæ, quæ catholicam continet unitatem. Hanc fidei nostræ credidit, hanc sollicitudini commendavit. Ad curam igitur et custodiam ejus cum omni timore omnem nos oportet diligentiam adhibere. Nulla nos absterrere debet comminatio, nulla persecutio retardare; quin iis semper in omni opportunitate sua fideliter occurramus et divinum in spe quæ non confundit amplectamur auxilium, quia non est nobis in terra victoria cum sponsus ejus debellator scilicet omnis aeriæ potestatis

Christus ipsius propugnator sit ad salvandum. Qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu Sancto Deus per sæcula, Amen.

II. SERMO DE EODEM.

Hesterno sermone, Domini et patres carissimi, vobiscum de unitate ecclesiæ Dei et libertate tractatum habuimus ad id omni studio principaliter intendentes ut bona et sancta voluntas vestra divini sermonis exhortatione inter adversa reddatur alacrior et de agnitione divinæ protectionis et gratiæ insolubilis nostræ invicem fraternitatis proficiendi semper in melius fiducia convalescat. Fratres siquidem sumus ex eodem patre Christo, et ex eadem matre Ecclesia, per regenerationem aquæ et spiritus de filiis iræ translati in adoptionem gloriæ filiorum Dei. Bonum itaque est, quia utile: jocundum, quia delectabile: nos hac spirituali fraternitate conjunctos, in unitate consistere, ut sit scilicet nobis, sicut in primitiva Ecclesia, multitudini credentium cor unum et anima una. Sit in nobis unus spiritus, una fides. Unitas enim fidei concordiam parit. Concordia mater est unitatis. Unitas vero fidei tribuit libertatem. Ex fide siquidem vita nobis et victoria est. Justus enim, inquit, meus ex fide vivit. Et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Sed et sancti per fidem vicerunt regna: regnum Sathanæ, regnum mundi, regnum cœlorum. Et de regno quidem mundi et regno Sathanæ manifestius: sed et regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Ita omnia regna unitas fidei, et fides unitatis expugnat. Totis itaque studiis debemus insistere, et alter alterum cohortari, ut stemus simul; quia si steterimus

simul, alteri ab altero plus fiduciæ et virtutis accrescet. Si steterimus simul, adversariis nostris non tantum resistere poterimus, sed et cum fiducia provocare. Si steterimus simul, Ecclesia Dei apparebit terribilis, ut castrorum acies ordinata. Stemus, inquit ille Propheta, stemus simul. Quis est adversarius meus? quis contradicit mihi? accedat ad me. Quia aliquem sibi senserat fideliter assistentem, cum fiducia loquebatur. Nos quoque, domini et patres mei, habemus aliquos nobis fideliter assistentes: habemus enim assistentem nobis gratiam civium supernorum, habemus assistentia nobis merita et orationes vestras, habemus assistentem nobis fidem et devotionem catholicorum Regum, qui unitatem catholicam nobiscum et verbo profitentur, et operibus exsequuntur. Omnes fere quicunque censentur nomine Christiano. Comparatione vero tantæ multitudinis, modica est unius exceptio. Unus siquidem excipitur, et ipse solus. Væ autem soli: quia si ceciderit, non habet sublevantem. Sed et ipse per misericordiam Dei convertetur et vivet, quoniam ipse est inter Principes terræ multa prudentia, et virtute laudabilis, nisi gloriam suam divinæ gloriæ præponere decrevisset. Utinam humilietur sub potenti manu Dei, et principatum Ecclesiæ suo præesse principatui recognoscat, utinam intelligat quia si Christum, sponsum scilicet Ecclesiæ dominum confitetur, necesse habet et Ecclesiam quæ sponsa est nihilominus dominam confiteri. Præterea specialem causam habet, qua sanctam Romanam Ecclesiam dominam reçognoscere debet: alioquin manifestissime poterit reus ingratitudinis apparere. Si enim ad veteres recurramus historias, certum erit prædecessores ejus imperium non de alio jure, quam de sola sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia percepisse. Nihil igitur plus juris vendicare Prin-

cipes possunt, quam quod in eos contulit dignatio largientis. Præterea habemus assistentem nobis etiam Christum. Neque enim Ecclesiam ea nobis conditione tradidit, ut relinqueret: semper assistit. Non relinquam, inquit, vos orphanos, vado et venio ad vos, vobiscum usque ad consummationem sæculi permansurus. Adjutor itaque et protector nobis est in salutem. Cum adjutorio itaque tot assistentium nobis nulla nos debet absterrere comminatio, nulla persecutio revocare, immo stare debemus ex adverso, et opponere nosmetipsos murum pro domo Israel. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. Immo etiam ad confidentiam victoriæ obtinendæ suo nos invitat exemplo. Confidite, inquit: ego vici mundum. Si semel victus est, non erat invincibilis mundus: facilius nobis erit victoria victum vincere quam invictum. Christus vincendum aggressus est, et devicit. Dicebatur aliquando: Vide Domine et considera, quoniam erectus est inimicus: nunc autem dicitur, quoniam dejectus est inimicus. Fiducialiter aggredi possumus jacentem et victum; quia si dejectus est, non resurget; si victus, non præsumet. Nulla ipsius ex hoc nunc resurrectio, vel præsumptio prævalebit. Timeo tamen, ne aliquis forte submurmuret, præsumptuosum dicens æmulari tantæ perfectionis exemplum. Facile, inquit, erat Christo mundum vincere, qui creaverat mundum. Omnipotens enim nomen ejus, cui idem est et velle et posse: mihi non ita, quoniam infirmus sum, et conturbata sunt omnia ossa mea. Omne scilicet robur naturæ meæ peccati corruptione est concussum, et ideo substantia mea tanquam nihilum coram ipso. Sed nequaquam, domini et patres mei, diffidendum, nequaquam desperandum

est: quia sicut verba Christi nobis ad doctrinam, ita opera proponuntur ad formam. Et sicut per doctrinam impossibile nobis est scientiæ illius plenitudinem obtinere, ita per exempla ad æqualitatem virtutum ejus non poterimus pervenire. Sed licet attingere non valeamus eminentiam majestatis, proficere tamen poterimus ad aliquam saltem similitudinem sanctitatis. Proderit imitari, etsi nemo valeat adæquari. Citra perfectionem ejus subsistit nostra perfectio. Prosequi debemus, etsi consequi non possimus. Non eisdem passibus, sed eodem tramite, eisdem est vestigiis insistendum. Quod si aliqua etiam de hominibus exempla quærantur, multos homines victores mundi poterimus invenire. Videamus Apostolum, hominem scilicet peccatorem, sicut et nos, non quantum nos, qui dicat se minimum Apostolorum, et indignum vocari Apostolum, quoniam persecutus est Ecclesiam Dei: Bonum, inquit, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de cætero reposita est mihi corona justitiæ. Certavit Apostolus, de certamine victoriam, de victoria consequutus est coronam. Cucurrit et consummavit cursum, ideoque bravium assecutus est. Idem bravium, quod corona. Tu autem quis es qui quæris coronam sine victoria, sine concertatione victoriam? Impossibile est de facto, sine concertatione vicisse. Improbabile est de jure coronam, sine victoria postulare. Neque enim coronabitur nisi qui legitime certaverit. Lex autem certaminis perseverantia est. Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Idem profecto salus, quod bravium et corona. Amplius si major vobis de hominibus placeat pluralitas, exemplorum infinita fere martyrum millia nobis occurrent, qui ad certamen istud toto desiderio occurrerunt, et demum victoriam cruentam quidem, sed tamen cum

lætitia et gloria perceperunt. Nunquid non ibant Apostoli, gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati? Nunquid non Stephanus inter lapides ipsos pro lapidantibus supplicat et exorat? Nunquid non Petrus et Andreas de cruce prædicant veritatem? Nunquid non Laurentius de craticula tyranno lætabundus insultat? Nunquid non carnifices ipsos ad equuleum prævenire invincibilis Vincentii fortitudo festinat? Sed et si de infirmiore sexu quæratur exemplum, Agathes lætissime et gratulanter ibat ad carcerem, et quasi ad epulas invitata, agonem suum domino precibus commendabat. Prius me deficiet dies, immo totum longioris anni spatium expirabit, quam sanctorum victoriæ plane valeant enarrari. Hi revera fuere viri fortes, et ad bella doctissimi, qui humilitate superbiam, tyrannidem patientia devicerunt. Cæterum benignius agit cum infirmitate nostra misericors et miserator Dominus. Ipse enim conscius est infirmitatis nostræ, utpote qui novit figmentum nostrum. Tolerabilem itaque facit patientiam nostram. Re vera sicut dictum est facit cum labore proventum. Nulla ergo adversum nos veteris sævitiæ commenta procedunt, immo etiam sustinemur in equis et curribus ambulare, in magnis quandoque et mirabilibus super nos epulari quotidie splendide, preciosis indui honoribus, et divitiis abundare. Paupertatem Christi verbo prædicamus, sed minus exhibemus exemplo: nisi quia fortasse paupertatem ejus in nobis spiritualiter divitiarum contemptus et humilitas sancta restaurat. Neque enim requiritur a nobis divitiarum indigentia, sed contemptus. Divitiæ, inquit, si affluant, nolite cor apponere: non dixit ne affluant, sed ne cor apponatur. Porro cor prohibuit apponere, sed non manum. Profecto Pro-

pheta in omni affluentia divitiarum pauperem se prædicat et egenum. Possumus itaque licite divitias possidere, si tamen earum nos non reputaverimus dominos, sed ministros : si intellexerimus patrimonium pauperum esse patrimonium Christi, si proventibus Ecclesiæ, si pauperum necessitatibus erogantur. Alioquin fures et latrones nos ratio manifesta convincet, si res alienas invitis dominis nostro præsumpserimus arbitrio contrectare. Quia igitur distribuendæ sunt, non retinendæ divitiæ, nusquam justius, nusquam possunt liberalius erogari, quam in eos qui exulantem Ecclesiam prosequuntur, qui propter causam Christi rerum suarum dispendia pertulerunt. Causa communis est, sed in eos omne detrimentum, omnis est conversa vexatio. Nos enim intra domesticos parietes nostros tribunalia nostra sublimiter insidemus, ipsi de sedibus suis contumeliose et violenter ejecti peragrant regiones. Nobis omne solatium cum affluentia divina pietas administrat, ipsi de manibus alienis subsidia vitæ cum silentio patienter expectant. Nobis necessariorum nostrorum et familiarium ordo longus assistit. Ipsi inter ignotos vitam quasi solitariam degere compelluntur. Si quam tamen eis consolationem emendicata suffragia præstiterunt, indignum est ab eis beneficia quærere, quibus tu consueveris exhibere. Aperiamus itaque eis viscera pietatis, et in eos omnem compassionis et venerationis effundamus affectum, ipsosque cum omni beneficentia et gratia complectamur : quia tunc adimplebimus legem Christi, si alter alterius invicem onera comportemus. Viri prudentes sunt et multa commendabiles honestate, quos Dominus elegit, tanquam aurum in fornace probandos, ut per eos impendio personarum et rerum, Ecclesiæ victoria consummetur. Felices sunt quibus

datum est pro æternis transitoria commutare. Feliciores sunt qui mortem vel corporales injurias sunt experti, et impreciabilem sanguinem Christi suo indigno et corruptibili sanguine compensarunt. Quid enim? Nunquid non sanguinem Christi in causam nostræ redemptionis expendimus, ut ipsum ei in tempore retributionis, scilicet cum ipse requisierit, solveremus? Mutuatus est peccator, et non solvet: nos autem, Domino miserante, solvemus, qui confitemur nos non artificio civili, sed re ipsa interveniente naturaliter obligatos. Utinam, bone Jesu, detur et mihi tecum pro spiritualibus tuis temporalia mea commutare. Utinam sanguinem meum tibi pro tuo recipere placeat insolutum, vel quia crediti et debiti sanguinis, scilicet tui et mei, invicem æstimatio non concurrit, saltem benignissima acceptilatione tua liberatus absolvar, qua scilicet consuevisti justitiam accepto ferre sine operibus, et præmia sine meritis, pro gratia scilicet bonæ actionis gratiam retributionis inferre.

III. SERMO IN SYNODO.

Quis putas fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem cum venerit dominus, invenerit vigilantem. Ecclesia, sicut nostis, fratres carissimi, congregatio fidelium dicitur. Fideles autem sunt, qui censentur nomine Christiano, qui scilicet de agnitione fidei catholicæ Christiani nominis contrahunt dignitatem. Fides enim ista de Christo et a Christo est, ideoque Christiana de nomine proprii nuncupatur auctoris: catholica vero id est communis, tam propter præcepta generalium

regularum, quam propter uniformem in omnes æternæ retributionis eventum. Neque enim fides ista jam vel certis est consignata personis, vel quibuslibet locorum coarctatur angustiis, sed ab ovibus quæ perierant domus Israel in omnes gentes veritatis doctrina transfusa est, postquam scilicet in omnem terram sonus Apostolicæ prædicationis exivit. Per hanc ergo fidem purgatis ignorantiæ tenebris, et veterum detersa caligine figurarum, misericors et miserator Dominus Ecclesiam suam sic notitia veritatis illustrat, ut operibus nihilominus caritatis informet, quatenus procedente gratia ei se ad complexandum indulgeat, et exhibeat ad videndum. Ad hoc eam de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, ad hoc eam secum assumpsit in ejusdem corporis unitatem. Ad hoc eam de servitute corruptionis, proprii quoque sanguinis impendio liberavit. Ipsa enim precium sanguinis ejus est retributio passionis, gloria majestatis. Quod enim assecutio hæreditatis istius ei cedat ad gloriam manifeste, de ipsius congratulatione suscepimus: quia in susceptione ipsius a patre eam studiosius commendat, et etiam lætabundus exultat. Funes, inquit, ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi. Præclara est, quoniam pulchra et decora est. Pulchra, quoniam tota pulchra est, non habens maculam neque rugam. Cujus claritatis et pulchritudinis quantus ipse zelator sit, ipsa etiam nominum multitudo, quibus eam frequenter appellat, evidenter ostendit. Nempe multitudine nominum multitudo charitatis exprimitur. Neque enim uno nomine contentus esse potuit, ut in ea diversitatem virtutum distingueret, et in se circa eam totum dilectionis aperiret affectum. Modo itaque eam electam, modo dilectam, modo sponsam nominat, aut reginam, multisque aliis nominibus quæ

spiritualibus sunt plena mysteriis, et sacris significationibus illustrata. Ego tamen ad præsens paucis esse contentus decrevi, quia sapientibus loquor, quibus plenius quam mihi innotuerunt nomina et nominum sacramenta. Electa dicitur. Veni, inquit, electa mea, et ponam in te thronum meum. Electa dicitur, propter virtutum eminentiam, qua præcellit. Thronus autem iste qui in ea constituendus dicitur, Altissimi thronus est, qui non potest nisi in eminentia collocari, quia ipse est qui in altis habitat, immo etiam in altissimis: Ego, inquit, in altissimis habito, et thronus meus in columna nubis. In altissimis habitat, quoniam cœli cœlorum sedes est habitatio ejus. Supra tertium etiam cœlum invenitur a Paulo. Thronus autem hic in columna est, quia sicut columna ardua et subtilis est, sic ardua et angusta via quæ ducit ad vitam: vita vero Christus. Cæterum quod thronus iste constitutus in nube dicitur, diligentius attendendum est. Nunquid non enim ipse inhabitat lucem inaccessibilem? Nunquid non ipse est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Lux scilicet perpetua, quæ lucebit sanctis Dei, quia fulgebunt sicut Sol in regno patris ejus. Sed et thronus ejus, sicut Sol in conspectu patris. Re vera lux est, et lucem inhabitat. Sed inter nos et lucem illam ad præsens nubes interposita est, quæ non permittit nos eam perfecte his quos modo habemus oculis intueri, immo nobis nubes, et caligo in circuitu ejus. Videmus tamen aliquatenus, sed per speculum, sed in ænigmate, sed interpositis corporalibus instrumentis. Visibilia enim quæ ab ipso creata sunt, quasi speculum, quasi instrumenta nobis sunt, per quæ quodammodo possimus ipsius invisibilia contemplari. Invisibilia siquidem ejus per ea quæ facta sunt, ab eo conspiciuntur.

Videbimus autem, Deo volente, perfectius in futuro, quando videbimus eum sicuti est, quando cognoscemus sicut et cogniti sumus, quando scilicet Regem in decore suo videbunt oculi nostri, quando transformabimur a claritate in claritatem, sicut a Domini spiritu. Quod mihi videtur desiderasse Propheta, cum diceret: Quando veniam, et apparebo ante faciem Domini? quasi diceret, Video aliquantulum, sed objecta est mihi nubes, interpositum velum, non video nisi interpositis corporalibus instrumentis. Vellem hæc omnia removeri, ut viderem facie ad faciem, et appareret mihi Christus vita mea, et ego apparerem cum ipso in gloria. Item, dilecta dicitur, quia diligit et ipsa, neque enim diligeretur, nisi diligeret, ipse enim nisi diligentes se non diligit. Ego, inquit, diligentes me diligo. Prævenit tamen diligendo, quoniam ipse prior dilexit nos, sed ad hoc diligit, ut faciat diligentes. Nisi enim qui diligitur mutua ei dilectione respondeat, divinæ revocatur dilectionis affectus. Verum quanta inter ipsum et diligentem se discurrat alternæ charitatis affectio, difficile nobis, immo impossibile est explicare, quoniam nec ipsius Salomonis sapientia id perfecte nobis enarrare potuit, licet diligentissime fuerit prosecutus inter eos modo complexus et oscula, modo aromata et unguenta, modo languorem spiritus, modo animæ defectum, modo ferventem curiosæ æmulationis zelum, modo delicatum teneræ compassionis affectum. Quæ omnia mihi satis est breviter attigisse, quia religio vestra hæc intra vosmetipsos plenius per ipsa spiritualiter experimenta cognovit. Tertium nomen est quod posuimus, quod sponsa dicitur. Nullo alio nomine manifestius exprimi potuit inter eos sacramentum unitatis, et sinceræ perfectio charitatis. Quæ enim verior unitas et charitas est quam duos in

carne una fieri, et ipsos uno eodemque spiritu vegetari? Quoniam ipse ab ea in unitatem ejusdem carnis, et ipsa ab eo in unitatem ejusdem spiritus est assumpta. Erunt itaque duo in carne una. Profecto Christus et Ecclesia. Nempe verbum caro factum est. Sed et totum corpus Ecclesiæ spiritu Christi vegetatur et regitur. Prudenter negociata est Ecclesia, carnem dedit, ut acciperet spiritum, et ipse animatum corpus assumens, largitus est nobis suam deitatem. Fœdus hoc in persona Christi celebratum est, quando scilicet cum humanitate divinitas, et cum divinitate convenit humanitas. Sponsalia hæc ibidem, auctoritate patris et sancti Spiritus obumbratione firmata sunt. Nec enim adhuc nisi sponsalia sunt, nondum celebratæ sunt nuptiæ, nondum matrimonium consummatum. Porro complebuntur omnia in futuro, cum sponsus advenerit, et intrabunt qui parati inventi fuerint cum ipso ad nuptias, imparati foribus excludentur. Qui vero ad agni nuptias fuerint introducti, ibi epulabuntur in conspectu ejus, ibi delectabuntur in lætitia, ibi inebriabuntur ab ubertate domus ejus, ibi torrente voluptatis suæ potabit eos. Ibi qui modo vacui sunt, replebuntur in bonis domus ejus, et qui inanes satiabuntur, quoniam apparebit gloria ejus. Ibi sponsa coronam accipiet, quam ei Dominus præparavit in æternum. Unde etiam regina vocari digna est. Jure id quidem, quoniam sponsa est regis: Christus enim rex est, cujus ipsa sponsa est, et rex et filius regis. Non habet regnum fortuitum, sed hæreditarium, quia de patre: Deus, inquit, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis. Ad patrem loquitur: Deus, inquit, pater da regi, id est Christo filio tui regis scilicet qui rex es, judicium et justitiam, potentiam scilicet et scientiam judicandi. Justitia enim et judicium,

præparatio sedis ejus. In his siquidem duobus consistit tota Regiæ majestatis auctoritas, quia judicium per severitatem potentiæ vindicat, quæ male commissa sunt coercet, ne iterum committantur. Punit siquidem excessus, et refrænat audaciam. Justitia vero per discretionem scientiæ dirigit et informat. Informat ad virtutem, dirigit ad salutem. Pater itaque rex est, et filius rex est. Pater rex ab æterno, filius nihilominus secundum divinitatem rex ab æterno. Unius ejusdemque regni non duo reges, sed unus rex. Christus autem secundum humanitatem rex factus est ex tempore, et Ecclesia ejusdem regni regina constituta est cum ipso. Astitit, inquit, regina a dextris tuis. Christus ad dexteram Dei patris, in potioribus scilicet bonis gloriæ ejus sedere dicitur, propter requiem consummatæ gloriæ quam accepit. Ecclesia a dextris Christi stare dicitur, non sedere, quia semper est in procinctu constituta. Astitit regina a dextris ejus. In hoc verbo videtur mihi Propheta triplicem statum Ecclesiæ prospexisse. Videtur mihi primo eam considerare stantem ad dextram crucifixi, ubi sibi profluentia in salutem, de latere ejus sacramenta suscipit et observat. Erant, inquit, juxta crucem Jesu mater ejus et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Stabat et discipulus quem diligebat Jesus. Stabat Petrus, et alii fortasse fideles a longe prosequentes, ut viderent finem. Stabat et Centurio, manifeste protestans quia vere filius Dei erat iste. In ea paucitate tunc temporis tota fere universitas Ecclesiæ consistebat. Porro unus ex militibus lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua: sanguis scilicet redemptionis, et aqua regenerationis. In his duobus omnium sacramentorum virtus et efficacia creditur emanasse. In fide etenim passionis, et baptismatis

ablutione salvamur. Qui enim crediderit et baptisatus fuerit, salvus erit. Sanguis enim Christi emundat conscientias nostras ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Sed et aqua quæ visa est egredi de templo corporis Christi, a latere dextro, salvavit omnes ad quoscumque pervenit. Tres igitur testimonium dant in terra, spiritus, aqua, et sanguis. Spiritus siquidem testimonium perhibet de Christo, quoniam Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Nobis autem aqua et sanguis reddunt testimonium ad salutem. Secundus autem status Ecclesiæ est a tempore resurrectionis Christi usque ad sæculi consummationem, quo tempore scilicet ipsa peregrinatur in terris, atque interim bona ista temporalia sobrie sibi in usus honestæ necessitatis assumit. Tota tamen spiritualiter in agnitione sacramentorum, in virtutum executione, in cœlestium contemplatione consistit, atque ideo quodammodo stare videtur etiam in præsenti, quoniam spiritualia sunt hæc, et de beneficio ei divinæ bonitatis indulta, ut ei de perceptione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum. Porro tertius Ecclesiæ status consummatis omnibus complebitur in futuro, quando scilicet dextra ipsius amplexabitur eam, et æternæ beatitudinis plenitudo confovebit. Astitit, inquit, regina a dextris tuis. In hoc verbo regnorum pluralitatem Christo et Ecclesiæ nolumus assignare, quia unum et simplex regnum est, quod patri et filio secundum divinitatem firmat deitatis æternitas, et quod filio virginis et Ecclesiæ gratia communicavit ex tempore. Nulla ergo invidia est, Ecclesiam reginam, et cœlorum etiam reginam appellari, cum Psalmista filios ejus Deos et Dei filios confidenter appellet. Ego, inquit, dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes. Ita, domini et patres mei, sicut diximus, multitudine

nominum multitudo charitatis exprimitur, et ipsorum diversitate sacramentorum quoque diversitas assignatur. Hanc igitur tam præclaram, tam acceptabilem sibi electus electam, dilectus dilectam, sponsus sponsam, rex reginam, Christus Ecclesiam fidei vestræ credidit, prudentiæ commendavit, ut scilicet ad curam et custodiam ejus, cum timore nominis ejus, omnem diligentiam, omnem sollicitudinem impendatis, quatenus omne opus ejus studio vestro, quantum vobis possibile fuerit, dirigatur in bonum, et ipsa integra et illæsa sub vestra defensione, et Christi protectione consistat. Ad hoc siquidem fides et prudentia procuratoris inquiritur, ut per fidem sua domino servetur utilitas, per prudentiam ingruentes a familia molestiæ depellantur, ut semper Domino proventus familiæque provectus accrescat. Oves Christi sunt, quarum quum ipse sit Dominus, tamen pastorem se nihilominus profitetur ut suam circa eas et potestatem prædicet et affectum, ut ipsæ ei tanquam Domino in auditu auris obediant et ipse eas tanquam bonus pastor super aquam refectionis in loco pascuæ collocet et conservet. Oves inquit meæ vocem meam audiunt. Ecce quod quærit ab his quæ suæ sunt tanquam Dominus exaudiri. Et ego Dominus agnosco eas. Ecce quia ipse rependit iis benignum mutuæ cognitionis et agnitionis affectum. Quanta vero eas charitatis gratia complectatur, facile pretio redemptionis ostenditur, quod ad earum liberationem beneficientia redemptoris impendit. Emptæ enim sunt pretio magno impretiabili scilicet sanguine crucifixi quem licet appretiaverit Judas, non potest tamen sub pretii recidere vilitatem, cui nihil in rebus comparabile, quod omni prælatum creaturæ quod in patris est dextra collocatum. Ignorabat homo quanti posset ejus humanitas estimari, quia licet de creatoris imagine simili-

tudinem contraxisset, nulla spe tamen nulla ratione præsumere poterat aut præscire vel incarnationis humilitatem vel amaritudinem passionis. Quippe rerum creatio gloriam quodammodo divinæ majestatis illustrat, dum opus admirabile sapientiam declarat opificis et pro ea quæ ab eo visibilia facta sunt, sempiterna virtus ejus et divinitas innotescit. Videbatur sibi fecisse quod fecerat, ut ignotus a sæculis in rationalis naturæ notitiam deveniret, et fieret quasi quoddam cognitionis alternæ commercium dum ipse sciret figmentum nostrum et nos aliquatenus intelligeremus divinæ substantiæ unitatem. Quod autem minoratus est ab angelis, quod brevi virginalis uteri thalamo clausus formam nostræ servitutis assumpsit, quod injurias hominum, quod denique dolorem sustinuit passionis, hoc saluti nostræ singulariter impensum veritas manifesta declarat ut mors temporalis ipsius ab antiquæ damnationis elogio nos solveret et ad vitam revocaret eternam novi consignatio testamenti. Ipse namque singulare pretium redemptionis est, quod pari benignitate pro singulis et omnibus est oblatum, ut nullus ibi majoris amplitudinem gratiæ, nullus sibi cujuslibet privilegii prærogativam valeat arrogare. Uniformitatem creationis secuta est redemptionis equalitas ut pariter omnibus proficeret ad futurum prædestinatæ retributionis eventum. Poterat enim superbiæ vel invidiæ præstare materiam, si aliquos amplior indulgentia prætulisset cæteris quasi defectu quodam deterioris essentiæ aut minoris misericordiæ condemnatis. Itaque si ortum hominis et processum diligenter attendimus, apparet circa eum incomparabilis bonitas conditoris, admirabilis redemtoris charitas, festinabilis gratia salvatoris. Super quo magnæ dignationis est nobis commissum esse quod tanta bonitate formatum est: quod tanta servatum

charitate, quod tanta novissime creditur gloria sublimandum. Porro quanto major dignatio est, tanto majus constat esse periculum; quantoque majora studium diligentiæ præmia recompensant, tanto major negligentiæ vindicta procedit. Sicut enim retributor bonorum, ita Deus ultionum Dominus est, apud quem sicut nihil irremuneratum dimittitur, ita nihil relinquitur impunitum. Beati itaque servi illi, quorum quum venerit Dominus, fides et prudentia complacebit. Super omnia siquidem bona sua, super ea scilicet, quæ præparavit Dominus diligentibus se, constituet eos. Nihil reservabit absconditum, sed velut effusa in omnes munificentia largietur divitias gloriæ suæ, cœlestium videlicet plenitudinem gaudiorum, regnique cœlestis cohæredes admittet, ut de manu ejus diadema speciei recipiant, qua speciosi facti eum qui speciosus est forma præ filiis hominum in decore suo revelata facie contemplentur et delectentur in multitudine pacis, præstante eodem domino nostro Jesu Christo, cui est honor et imperium in sæcula sæculorum.

IV. SERMO IN ANNUNTIATIONE GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ.

Missus est Gabriel Angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph. Quod ab eterno prædestinatum fuerat, quod ab antiquo per multa Prophetarum oracula repromissum, tandem, fratres carissimi, die ista divina gratia cœpit operante compleri. Siquidem ab æterno Deus pater unigenitum suum in causam redemptionis humanæ decreverat incarnari, ut mysterio scilicet incarnationis ejus vetus Satanæ solveretur astutia et humilitatis dignatione potestas ejus ac superbia frangeretur. Quod fortassis ab initio nec

etiam fuerat Angelis indicatum. Sed intra secretum divinæ bonitatis magnitudo consilii regebatur abscondita donec conscius secreti nuntius mitteretur, qui indulgenda generi humano libertatis beneficia nunciaret. Missus est itaque angelus Gabriel divinorum factus conscius secretorum, tanquam fidelis divinæ voluntatis interpres et ut quodammodo proprii nominis interpretationem adimplens, fortitudinem Dei in infirmitate carnis prædiceret assumpturam. Si igitur ipsum promissæ salutationis inspiciamus alloquium, recte nuncius salutis verba proposuit, qui ad salutem omnium nunciandam tollendamque perniciem mittebatur. Virgo autem prima verbum salutis accepit et affectum, quia humilem statum revelatis per angelum omnibus fidem præstitit et assensum. Unde nimirum ab originali et cæteris siqua erant actualia penitus emundata est, ut nulla penes eam peccati corruptio nulla corruptionis concupiscentia resideret. Talem enim sibi virginis humanitatem divina magnificentia præparavit, qualem de ipsa disponebat assumere, ut scilicet primæ creationis dignitate recepta, incorrupte posset uniri divinitas incorrupta naturæ. Unde etiam recte gratia plena potuit appellari quæ primo plenitudinem propriæ sanctificationis accepit: et singulari statim privilegio potuit exultare ut scilicet mater esset et virgo et in ipsa placabilem contraria sortirentur eventum. Neque enim alibi vel virginitatem fœcunditas vel fœcunditatem simplicitas virginitatis agnoverat, nullaque invicem communione, nulloque unquam fœdere jungebantur. Porro utramque bonam esse, utramque constat esse laudabilem sed in aliis majus est virginalis privilegium castitatis. In Maria excellentior est virginitate fœcunditas. Si recte fœcunditatis fructus et virginitatis merita comparentur. Siquidem fructus iste de

jurata David a Domino veritate procedens super sedem ejus positus est, super solium scilicet ipsius et regnum jure perpetuo constitutus ut de sacramentorum efficacia firmitas et robur de virtutum sanctificatione concrescat. Cujus sane fructus et germen in magnificentiam et gloriam adjunctæ sibi divinitatis excrescens omni facta est terrena plasmatione sublimius adeo ut nihil eo sit vel potestate fortius, vel excellentius dignitate. Inde est quod in Maria contrahit fœcunditatis honor de ipsa fructus sui qualitate sub'am ubi nulla quarumlibet virtutum dispendia sed augmenta concurrunt: sed in aliis detrimentum virginitatis sobolis beneficio restauratur et virginitatis amissæ gloriam susceptæ prolis gaudia recompensant. In aliis enim de proventus qualitate recipiunt præcedentia detrimenta solatium ubi quæ fœcunda est, pressuræ remedium et optatæ sobolis percipit incrementum. Virgo autem quæ carnales animo simul et corpore declinat illecebras et sedulo vim concupiscentiæ pudore contundit, quanto magis a semetipsa per gratiam continentiæ deficit, tanto magis proficit ad mercedem. Habent igitur fœcundæ quod debeant, habet virgo quod speret. dum iis in gratiarum actiones virginitatis merita transeunt et ei semper ad præmium eadem virginitatis merita convalescant. Virgini autem nostræ nullum intulit partus aut conceptio detrimentum sed tanto majoris fastigium honoris adepta est, quanto mirabiliori est conceptu consecrata. Occurrunt itaque in ea sibi invicem quasi quibusdam virginitas fœcunditasque complexibus ut fœcunditatem virginitatis gloria redimat et virginitatem fructus fœcunditatis attollat. Fœcunditas igitur ipsius multis est venerandæ miraculis, multis utilitatibus amplectenda multis illustrata laudibus, in qua sic humilitati sublimitas deitatis occur-

rit, ut nec infirmitas opprimatur a gloria nec majestas aliqua ex parte propria dignitate privetur. Profecto in aliis tanto major est fœcunditate virginitas quanto minor est integritate corruptio, quia fœcunditatem voluptas quædam improbata præcedit quam sine culpa esse commercium carnale non patitur, nec affectuose corruptarum carnium passiones. Unde se conceptum in peccatis Psalmista commemorat quia in ipso utrobique peccatum de corrupta traducebatur origine, fomitemque peccati procedens de veteri corruptione concupiscentia ministrabat. At vero in Mariæ fœcunditate sola etiam est operata divinitas. Dum virginem virtus obumbrat altissimi, et superveniens spiritus carnis et verbi consecrat unitatem. In quo non potuit de non vitioso vitium provenire, nec auctor virtutum auferre debuit sed afferre virtutes. Ideoque propositæ castitatis privilegium singulare non abstulit sed honorem fœcunditatis adjecit. Novam itaque sobolem pudor virginalis agnoscit, carnemque miratur natura spiritu fœcundari, legemque propagationis humanæ penitus immutatam, quum ibi sit nec de voluptate conceptio nec prolis emissio cum dolore. Siquidem Deus de Deo semper caro de commixtione carnis nascebatur ex tempore: nunc Deus in hominem homo in Deum sola spiritus operatione formatur. Mirum hoc solique divinæ majestati possibile ut quamlibet humanitas et divinitas caro hæc s. et spiritus ille concipiant unitatem: quod impassibilis passibilem quod eternus se nobis exhibeat temporalem quod eum corporalibus oculis liceat intueri, cujus excellentiam cœlestium civium spirituales oculi non attingunt. Quod sane fides nostra necesse est ut saniore concipiat intellectu nec substantiarum quidem sed personæ prædicet unitatem. nec alteram in alteram transiisse. facta quolibet modo confusione vel

commixtione credamus. Verbum enim in eterna semper propriæ divinitatis simplicitate consistens, nec alterius est admixtione compositum, nec in aliud sibi sui abolitione transfusum, sed substantiis in se permanentibus pariter et naturis. Christus ut gigas incomparabili virtute præcellens, gratuitam viam nostræ mortalitatis alacritate cucurrit. Igitur ad propositum Divinæ predestinationis effectui mancipandum angelus destinatus ad virginem qui dilatum usque adhuc divinæ voluntatis hodie patefecit arcanum. quod sicut eternaliter a tota Trinitate provisum est, ita nihilominus a tota Trinitate nunciat adimplendum; ait enim: Spiritus sanctus superveniet in te et virtus altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei. Itaque vim verborum et ordinem studiosa consideratione pensemus quia scilicet primo spiritus sanctus superventurus nunciatur in virgine, eademque postmodum altissimi id est patris virtute proponitur obumbranda; ut ita virginis præparato conceptu, segregata ex utero ejus sed in utero carne ineffabilis novissime filii generatio proveniret. Vides hic Angelum manifeste totius Trinitatis expressisse præsentiam, dum supervenire spiritus altissimi et obumbrare, filius vero dicitur incarnari. Liquet igitur totius Trinitatis opus esse quod factum est, licet unus tantum fuerit incarnatus, e tota Trinitate scilicet unus tantum, totius ad id divinitatis exhibuit substantiam, uno tamen propositum redemptionis humanæ ministerium personaliter exhibente. Igitur æternæ generationi generatio temporalis accessit, et æternæ nativitati nihilominus temporalis est adjecta nativitas; ut quod æternum est, in sua consisteret æternitate perfectum; quod vero temporale est, perfectionis suæ statum, non tam de natura quam de miraculo sortiretur. Siquidem

personam hominis ex duorum hominum commixtione provenire necesse est, hic vero unius hominis tantum simplici præcedente substantia, nova soboles proficiscitur et formatur; qua scilicet humanitate percepta, sic humilitati nostræ excellentia divinæ majestatis infusa est, ut præeunte mirabili carnis Verbi commercio totum dicatur homo, totum dicatur Deus, alterumque de altero nova quadam enuntiationis specie prædicetur; siquidem enuntiatio hæc unionem, non essentiam prædicat aut naturam, nec alterutrum in altero, vel substantiam in substantia consistere ratio, vel natura consentit; sed personalem ineffabilis quædam quasi consolidatio conficit unitatem. Neque enim carnis essentia in Verbi transivit essentiam, neque Verbum carnis passiones assumsit; sed utique proprietates suas semper attribuit impermixtarum discretio naturarum.

Si igitur Verbum carnem factum esse evangelica tibi dictat auctoritas, factum nihil aliud intelligas, quam unitum: neque hanc tibi confusio, vel permixtio constituat unitatem; sed singulas semper in se consistentes debita æstimatione venerare substantias, unamque tibi ipsamque singularem proponas de tam diversorum pluralitate personam. Unde si de Christo, Deo scilicet et homine, modo humanum, modo divinum aliquid audias, prædicari intelligas, non ex eadem causa procedere, sed ad diversas utrumque prædicamentum respicere rationes. Quod enim modo Omnipotens, modo Creator omnium dicitur, modo unigenitus Patris Filius ab æterno, id eum ex divinitatis constat habere substantia: quod vero natus ex muliere, factus sub lege, quod ignominiam crucis, quod amaritudinem sustulit passionis; id ex humanitatis processisse natura, nullus est qui dubitet. Porro si personæ utramque substantiam complectenti,

quod specialiter unius est, toti personæ videris attributum, scias ratione assumptionis, toti convenire personæ, nec tamen passiones corporis divinitati, vel humanitati divinam tribuas majestatem. Quippe quod de virgine nasciturum dicit Angelus, Filium Dei nuntiat appellandum, quamvis ei ex eo quod de virgine est, non possit hæc appellatio convenire: sed divina bonitas non voluit nominis detrahere dignitatem, cui communicandum destinaverat ejusdem substantiæ veritatem.

Ad quod sane post multa tempora novissime consummandum, ad expertem omnis concupiscentiæ destinatur, cujus denuntiatione votum perpetuæ virginitatis firmatum est potius quam sublatum, cum virum ejus Angelus ad similem formasset assensum. Nullaque hinc vel inde carnalis commercii residet affectio, sed ad custodiam et obsequium virginitatis et virginis se congaudet fidelis viri devotio præelectam. Igitur ad præparatum sibi prudenter a Spiritu sancto conjugium, secura voti Virgo sancta procedit, et sacri animorum potius quam corporum fœderantur amplexus. Sane in contrahendis ab initio sponsalibus alia viri fuerat fortassis intentio; sed edoctus ab Angelo, statim totus ad perfectæ continentiæ transivit affectum, ut animi eorum pari invicem similitudine responderent, ne quasi dissidium facere videretur diversarum dissentio voluntatum. Nemo itaque dixerit sublata, sed subsequuto conjugio consummata sponsalia: nec aliquid sacramento propositi sanctitate detractum est, sed eos ad maritalem copulam individua vitæ consuetudo condixit. Porro si nec opus intercessit carnalis commercii, nec voluntas, nihilominus tamen constat esse conjugium, quia contractus ille non trahit de carnis commixtione substantiam, sed de sola legitime consentientium voluntate.

Si igitur ad hoc neque concupiscentia, neque carnales requiruntur amplexus, atque intercessisse constat quidquid ad conjugii desideratur effectum; manifestum est veros conjuges exstitisse, ut ille recte [vir] et illa conjux debeat appellari. Quod si dicatur non posse matrimonium contrahi nisi communicato copulæ carnalis assensu, ne requisitum alter alteri negare possit accessum: verum quidem si ea conveniunt voluntate, et præoptata futuræ sobolis pignora contemplantur. Si vero conditioni huic renuntiare vel amore castitatis, vel impotentia qualibet obsistente decreverint, legemque matrimonii in aliis omnibus constituant observare, individua vitæ consuetudo, et dispositum alternæ potestatis obsequium affectati contractatus format substantiam, perpetuamque firmat sacri consortii fides et gratia veritatem. Quæ etenim ratio assensum hunc commodare compellebat invito, cui perpetua virginis complacebat integritas, votumque erat ipsius, quod in ea natura erat, perpetuæ continentiæ sanctimonia venerari? Quod si a minoribus ad majora trahatur exemplum, aliquid fortassis expressæ similitudinis in Cæcilia virgine poterit inveniri, quæ cum familiari voto perpetuæ virginitatis munus velut holocaustum quoddam Domino consecrasset, cum Tiburtio tamen amicorum interventu contrahere minime recusavit, fiduciam habens in Domino, quod divina devotam in ea pudicitiam sapientia conservaret, et humiliter parentum desideriis acquievisse Cæcilia videretur. Cantantibus organis igitur dum juvenis prædestinatus ad vitam: ad nuptiales festinat amplexus, et ad optatum thori virginalis anhelat ascensum, illa procedentibus de conscientia voti suspiriis et precibus implorabat a Domino, ne ad confusionem spiritus et corporis ipsius macula quælibet

concupiscentiæ carnalis obreperet, sed corpus prorsus intactum sincero spiritui conservaret. Cum eo itaque quasi transactione quadam virgo prudens sic amicabili compositione convenit, ut ipsum asseruerit sibi in eamdem conservandæ pudicitiæ voluntatem, et purificatum aqua baptismatis postmodum perduxerit ad lauream gloriosi martyrii triumphalem. Quis ergo dicat non intercessisse conjugium, si eis a carnali placuit abstinere contactu, cum multos usu frequenti videamus in matrimonio convenire, quibus vel nimia senectus, vel debilitas aliqua commercii illius spem omnem abstulit et effectum. Certum est autem de rei substantia non esse, quod velut accidentale aliquid et adesse potest pariter et abesse, sanctiusque et sincerius observatur conjugium absque eo quod sine culpa esse non potest, nisi per bonum conjugii fuerit excusatum. Profecto cur non saltem simile casus et voluntatis privilegium erit, ut eodem fungi concedantur effectu, cum necessitate impotentiæ constringantur inviti, voluntatem vero devotionis affectio et zelus sanctitatis informet. Quibus omnibus manifestum est Angelum recte virginem appellare potuisse, conjugemque Joseph, nullum prorsus voto virginitatis viro volenti vim vel injuriam irrogante: sed studium semper cum omni diligentia sedulus impendebat, ut suscepti ministerii munus laudabiliter similis et devotus impleret, docente eum frequenti Angelorum commonitione, et omne opus sanctæ sedulitatis dirigente semper in bonum Spiritu sancto, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

II. CARMINA.

1. *De nativitate Domini.*

SEMPER ab æterno nascens ex tempore nasci
  Sustinet humana conditione Deus:
Virgineumque uterum virtus sacra patris obumbrat,
  Qua verbum fieret conciliante caro.
Conformi soboles patrem matremque figura
  Exprimit, et speciem reddit utrique suam.
Sic ejus species speciem est imitata paternam,
  Ut sit eo viso visus et ipse pater.
Virgineoque sibi fabricans de corpore corpus,
  Humanam ex homine contrahit effigiem.
Exhibet una duas species persona, Deusque
  Factus homo proprium servat utrique genus:
Servat enim propriam naturæ simplicitatem
  Hic in carne Deus, cum Deitate caro.
Non commiscentur, nec enim confusa resolvit
  Vel carnem Deitas, vel caro mixta Deum.
Regnat in assumpta Deitatis gloria carne,
  Nec majestatem carnea vela gravant.
Virgineaque fide veterem purgante reatum
  Numinis adventu est sanctificata caro.
Credit et exhibuit mundam devotio matrem,
  Magnificatque Deum, magnificata Deo.
Virginis integritas salvo fœcunda pudore
  Concipit, atque virum parturit absque viro.
Nec reserat partus signati claustra pudoris
  Absque viro genitus, editus absque via.
Ergo alterna novum fœdus commercia miscent,
  Et vetus in pacem vertitur ira novam.

Humanis siquidem blando divina favore
  Occurrunt stabili conciliata fide.
Servus adoptatur, redit exul, carcere clausus
  Exit, et ejecto porta negata patet.

2. *Ad Henricum Wintoniensem Episcopum.*

Quod per multiplices dispensat gratia formas,
  Hoc in te totum contulit illa simul:
Contulit illa simul quicquid virtutis habere
  Humanum corpus, mensque moderna potest:
Non aliud corpus hac dignum mente, nec ista
  Mens alio fuerat corpore digna tegi.
Sic animus membris, animo se membra coaptant,
  Ut nulla sese disparitate gravent.
Namque in regali mens regia corpore regnat,
  Magnanimumque decent fortia membra virum.
Compositi mores habitum faciemque venustant,
  Et facit ad mores forma decora tuos.
Sublimes oculos et acuti luminis ignit
  Excellens sensus ingeniique vigor.
Informat mentem ratio, facundia linguam,
  Fœcundamque probat rivulus uber aquam.
Fulget Rhetorico celebris sententia cultu,
  Allicit hæc animos, auribus ille placet.
Res precium verbis, rebus dant verba decorem,
  Nescio plus placeas proficiasve magis.

3. *De innovatione vernali.*

Quicquid hyems tanquam veteri deforme senecta
  Absque decore diu fecerat esse suo,
Ver novat, atque novo compubescentia flore
  Imperat ad teneros cuncta redire dies.
Rupta videbantur antiqui fœdera nexus,
  Convulsusque odiis cedere sanctus amor.
Visa Elementorum communio sacra revelli,

Et fœtus eadem velle vorare suos.
In veteremque pari conversa furore tumultum,
Invisam rebus accelerare necem.
Autumnus senior gelide post credita spectans
Semina, crediderat fœnus obisse suum.
Nunc ea secretus movet ignis et abdita virtus
Naturæ, sancti conscia consilii :
Seminibusque adhibens causas, et semina causis,
Ad celeste suum docta figurat opus.
Sol oriens hilari perlucidus ore redemptis
Ignibus, astrictam frigore solvit humum :
Aëriamque novo faciem splendore serenans,
Purgatum exhilarat lenior aura diem.
Undique sollicitat juvenem lascivia mundum,
Fœcundosque aperit prodiga terra sinus.
Gramine vestitur humus, arbor frondibus, offert
Gemmam vitis, ager lilia, spina rosam.
Alternant et opus et opes Elementa vicissim,
Seque favore pari materiaque juvant.
Ergo vetustatem mundi natura reformans,
Auspiciis fertur in sua vota suis :
Namque voluntatem comitata potentia semper
Non patitur frustra quid voluisse Deam.
Assurgit lætus speranti mundus et audax
In faciem pueri cogitat ire senex.
Nec reditum metuit veteris tristisque figuræ
Prorsus obisse hyemem, non abiisse putans.
Elatusque novæ successu prosperitatis,
Ad votum dictat sæcla futura suum.
Ergo sibi quarta breviandos destinat annos,
Ut tribus exultent omnia temporibus.
Ne solvatur aquis vel frigore torpeat annus
Perpetuaque fluant tempora temperie.

4. *De alterna temporum successione.*

Tempora circuitu veteri revoluta vicissim,
  Effectus variant restituuntque suos,
Mater hyems patris autumni semina servat,
  Vere novo stabili restituenda fide,
Ver mundi sterilis gelida præeunte senecta
  Solvitur in fœtus, luxuriatque novos.
Productosque fovens blando natura favore,
  Æstivo in formam provehit auspicio:
Autumni demum proventibus omnia cedunt,
  Cui totas reliquus congerit annus opes.
Quod concepit hyems, peperit ver, nutriit æstas,
  Hic metit atque suo conficit arbitrio.
Sola reservantur conceptibus apta futuris
  Semina, dispositas nata novare vires.
Sic abit ut redeat, redit ut retranseat annus,
  Præcipitem revocans præcipitansque rotam.
Sic rata perpetuos agit alternatio menses,
  Et veteres renovat inveteratque novos.
Hunc divina frequens ludit sapientia ludum,
  Et varianda movens invariata manet.

5. *Ad Poetam mendicum.*

Versus mendicos et Musæ pauperis ausum,
  Compositasque odi Cæciliane preces.
Importuna graves exactio suscitat iras,
  Et geminæ stimulos improbitatis habet.
Qui petit, hoc ipso statim incipit esse molestus:
  Si petat adjuncta qualibet arte, magis.
Artis enim studiis formata precatio quandam
  Contrahit ex fraudis suspicione notam.
Et permixta dolis exactio lædit utroque,
  Fallit et emungit insidiosa rapax.
Invisos igitur geminata molestia versus
  Reddit, nilque sui metra favoris habent.

Si vis ergo suum Musæ servare favorem,
  Gratuitis aures mulceat alloquiis.
Importunus enim est quisquis sibi postulat aurem
  Laudibus impleri, muneribusque manum.

6. *Ad Scævam de anu non reformanda.*

Scæva senescentis dominæ marcere decorem,
  Et teneros queritur consenuisse dies.
Ergo peregrinas explorat sedulus artes,
  Et species multo comparat ære novas,
Nilque redempturo faciem medicamine vexans,
  Deplorat medicas nil potuisse manus.
Non hac Scæva potest naturam fallere cura,
  Ars deformatam nulla reformat anum.
Si vis in lucem faciem revocare sepultam,
  Et speciem dominæ reddere, tolle dies:
Tolle dies, annosa creant dispendia rugas,
  Multiplicatque cutem multiplicata dies.

7. *Ad juvenem et puellam affectiosius se invicem intuentes.*

Occurrunt blando sibi lumina vestra favore,
  Et voto arrident intima corda pari:
Alterno facies sibi dant responsa rubore:
  Et tener affectum prodit utrinque pudor.
Mutua discurrens ultro citroque voluntas
  Lascivum mentes fœdus inire facit.
Alternis radiis oculorum flamma refulget,
  Perplexusque oculos fœderat intuitus.
Ipsæ animæ proprias quasi permutasse videntur
  Sedes, inque novis degere corporibus.
Complexus tacitos animorum gratia nectit,
  Corporeisque parat nexibus auspicium:
Procedet felix duplicato copula nexu,
  Concurrentque suis corpora spiritibus.

Utilis optatos dabit expectatio fructus,
  Et lætos parient anxia vota dies.

8. *Ad lascivos Sodales.*

Mens mea virtutum studiis a tempore primo
  Instituit infames docta cavere vias,
Sed quo vita mihi securior esset apud vos,
  Cautus honestatis dissimulator eram.
Optabam credi similis non esse favorem,
  Non mihi vera dabat, sed simulata Venus.
Servivit vobis nutu solertia solo,
  Præstringens equidem sed meliore dolo.
Mens studiosa sua se clauserat integritate,
  Ne virtus faceret disparitasque gravem.
Ast ubi non potuit perfectio dissimulari,
  Seque suis virtus prodidit indiciis:
Invidiæ stimulis angi stillare veneno
  In populos cœpit lingua maligna suos.
Confiteor placuisse, pudet: quoniam placuisse
  Turpibus, aut propter turpia, turpe bono.
Debueram clare rupisse silentia, non me
  Defunctis tacito consepelisse metu.
Servit enim sceleri virtus taciturna, reosque
  Absolvit, si non indicat esse reos.
Pars vitii est vitium quovis palpare favore,
  Nam palpando foves atque fovendo facis.
Præstat opem tacitam viresque ministrat agendi
  Qui tacet, et poterat obvius isse malo.
Nam virtus vitii nec amat, nec sustinet umbram,
  Nec luci tenebras contrahit ipsa suæ.

9. *Super sepulchrum Regis Henrici, in quo cerebrum et cor ejus sepulta sunt.*

Henrici cujus celebrat vox publica nomen,
  Hoc pro parte jacent membra sepulta loco.

Quem neque viventem capiebat terra, nec unus
  Defunctum potuit consepelire locus.
In tria partitus sua jura quibusque resignat
  Partibus, illustrans sic tria regna tribus.
Spiritui cœlum, cordi cerebroque dicata est
  Neustria, quod dederat Anglia corpus habet.
Pars bona, pars melior, pars optima, pars sua cuique
  Anglis, Normannis, Cælitibusque data est.
Hinc patres animumque trahens, sed forte apud Anglos
  Editus, hic gladium, sceptra gerebat ibi:
Quem decedentem cum nox extrema Novembris
  Solvisset, secuit prima Decembris eum.

10. *Quomodo pauperi vel diviti sit dandum.*

Res simplex triplici vitio damnata decoris
  Expressit mentem rupta pusilla vetus.
Si quis forte aliquid largiri curat egeno,
  Ad paupertatis respiciatur onus.
Non elephantus ei dandus, non Parthica tigris,
  Non quicquam quod eum cogat egere magis:
Non volo quod faciat de paupere pauperiorem,
  Id volo quod potius utilitate probem.
Quid mihi si munus honor illustravit inanis,
  Cum meus extincto frigeat igne focus?
Pane cibandus inops, non illudendus honore est,
  Frigida de vacuo gratia ventre venit.
Contra divitibus munus quod quilibet offert,
  Formet honore magis, utilitate minus.
Illustret non subveniat, ne quando probetur
  Munus quod tantum, sed quia tale fuit.
Cumque datis insit animi donantis imago,
  Nec dator affectum dissimulare queat,
Id des quod semper videare dedisse libenter,
  Ne parcam prodant dona recisa manum.

11. *Epitaphium Matildis Imperatricis, Regis Henrici filiæ, et alterius Regis Henrici matris.*

Regia progenies, stirps Regia, Cæsaris uxor,
  Hic est magna brevi clausa Matilda loco.
Virtutum titulis humani culmen honoris
  Excessit mulier, nil mulieris habens :
Septembris decima regno post regna recepto,
  Creditur æternum continuasse diem.

12. *De eadem.*

Regis mater erat, et Regibus orta Matildis,
  Extuleratque thoro nobiliore genus :
Sed magis egregia virtutum laude coruscans,
  Fortunam generis vicerat atque thori.
Septembris decimo sub prima transiit hora,
  De nostra ad verum nocte revecta diem.

13. *Sub cruce ex persona Crucifixi.*

Sic cruce tollo crucem, moriens de morte triumpho,
  Vivificans hominem mortificatus homo.
Gratia mandata præscribit, forma figuræ,
  Res signo, morti vita, corona jugo.

14. *Ad nepotem suum, cum esset adolescens.*

Olim me celebrem Normannia tota Poetam
  Duxit, vixque dabat Gallia tota parem.
Altera de primis me credidit, altera primum
  Deque suis dixit illa, sed ista suum.
Magnus ubique tamen vario celebrabar honore,
  Illustri peregre, præcipuoque domi.
Nunc nova forte novum vatem te protulit ætas
  Ad formam rudibus, invidiamque bonis.
De pueroque senem formans doctrina Poetam,
  Indidit ætati non sua verba tuæ.

Verba senem sapiunt, ipsumque professa Maronem
  Imberbi floret pagina canicie.
Ipsa tuos mirata dies et verba dierum
  Palluit ad versus et mea Musa tuos.
Cumque meas solito sumpsissem more tabellas,
  Privavit linguam voce, manumque stilo.
Ergo tibi Musas sanctumque Helicona resigno,
  Et dulces sacri desero fontis aquas:
Tu cole quas nostri, quarum retinere favorem
  Non nisi sollerti sedulitate potes.

15. *Epitaphium Algari Constantiensis Episcopi.*

Præsulis Algari cineri natura sepulto
  Non potuit meritum consepelire viri:
Nam terram titulis, cœlum virtutibus implens,
  Dum nobis moritur, ut sibi vivat, obit.
Ipsum igitur quia terra virum cœlique loquuntur,
  Consignasse brevi sufficit elogio.
Hunc et Martinum meritorum conscia terris
  Abstulit, et cœlo reddidit una dies.

16. *Epitaphium Hugonis Rothomag. Archiepiscopi.*

Inter Pontifices speciali dignus honore
  Hic nostræ carnis Hugo resignat onus,
Consignata brevi clauduntur membra sepulchro,
  Non tamen acta viri claudit uterque polus.
Quicquid dispensat et compartitur in omnes,
  Gratia contulerat præstiteratque viro.
Fœcundos igitur virtutum copia fructus
  Fecit, et ultra hominem est magnificatus homo.
Tandem post celebris felicia tempora vitæ
  Sustulit emeritum flebilis hora senem.
Par Martine tibi consorsque futurus eandem
  Sortitus tecum est commoriendo diem.

III. TRACTATUS DE SCHISMATE ORTO POST HONORII II. PAPÆ DECESSUM.

PRÆFATIO.

Venerabili Dei gratia Carnotensi Episcopo Gaufrido, Romanæ Ecclesiæ Legato, Arnulphus Archidiaconus Sagiensis, Clericus ejus humilis et devotus, Salutem.

Ad expedienda legationis vestræ negotia non negarem fidele ministerium, si adessem, pro viribus exhibere. Invitaret enim me cum laborantis Ecclesiæ causa communis, tum beneficiis vestris obstricta devotio, tum Romani Pontificis gratia, qua me fateor arctius obligatum. Sed quia me in Italiam desiderata diu Romanarum legum studia deduxerunt, loci quidem distantia corporale subduxit obsequium, sed spiritualem non suppressit affectum. Novit enim intimus secretæ conscientiæ testis, quam fidelis Ecclesiæ patienti compatiar, quam affectuose in adversis Præsuli Romano condoleam, quamque obnoxie vestrum me tota mente judico debitorem. Unde nimirum sublata impendendi corporaliter officii facultate, stilum saltem continere non potui, sed in Girardum Engolismensem, quod solum impendere poterat affectus absentis, invectus, originem nativitatis ejus, conversationis qualitatem, Prælationis causam, quid agat, vel egerit ab initio tempestatis hujus, servata quantum potui brevitate, perstrinxi. Ad confutationem quoque ejus stilo circa Petrum Leonis liberius evagato, subjunxi de persona Domini Papæ, de ordine electionis ejus, de favore Principum, de popu-

lorum consensu, quidve super hoc irrefragabilis omnium religiosorum probat auctoritas.

Opus autem ipsum, præsumo majestati vestræ, fortassis impudenter, offerre, cum nullatenus orationis jejunæ macies mereatur in sapientiæ vestræ venire conspectum. Scio tamen quia sæpius apud vos benignitas indulgentiam parit, quam severitas exactissima, pœnam. Qui enim leviori culpæ veniam negat, causam quandoque gravioris importat. Si quid tamen in judicium libeat devocare, non de qualitate operis, sed de opificis cognoscatis affectu. Hujus examinationis periculo me securus expono, nec cognitionem formidans, nec latam ex cognitione sententiam. Quia licet rhetoricum colorem formet scientia non affectus, si non hanc peritiæ laudem, saltem bonæ voluntatis gratiam consequemur. Sed et hoc ad vos potissimum destinari ratio postulabat, cum in eam causam cuncta specialium allegentur, quæ vobis agenda commissa est. Quippe cum ad resistendum Petro-Leonis in Italia Præsul Romanus indefessus assistat; ad resistendum Girardo vos reliquit in Gallia, ut sit capiti caput oppositum, et dextera dexteræ conferatur. Sicut enim Petrus schismatis hujus princeps et auctor est, sic Girardus ejus inter omnia principalius est instrumentum. In quo quid de fide et prudentia vestra sentiendum sit, manifeste probatum est, cum nullum vobis prætulerit is, qui nec probaret ignotum, neque notum supra merita propriæ virtutis efferret. Arbitratus est virum quem caritas animaret, quem suscitaret obedientia, quem scientia cogeret, cui pararet fortitudo victoriam. Probavit in vobis in fide constantiam, humilitatem in obsequendo, in exequendo prudentiam, in difficultate perseverantiam. Quis vos hac ejus existimatione neget esse felicem? Quis beatum

tanta ejus dignatione non dicat? Sed profecto dignus mittente nuntius, dignum suscipiente mandatum, spes utriusque pulcherrima, quæ tam celebrem victoriam certo spectat eventu. Vincet enim in vobis ipse, sed et vos vincetis in ipso; dum ipse vobis auctoritatem, vos auctoritati præstatis obsequium. Vincetis, inquam, et captivatum hostem sedata Aquitania reducetis; ut per vos ei qui vos misit oblatus, ob novum crimen novo pœnæ genere puniatur. Indurati enim cordis impœnitentia, veniam non meretur. Hoc autem præmium a vobis bonæ saltem voluntatis exposco, ut mihi tunc inter eos qui modo quasi sub ducatu vestro militant, sequi currum liceat triumphantis, et laudes vestras, imo vincentis in vobis Ecclesiæ, præconia decantare. Valete.

CAPUT I.

Anxie te jamdudum Girarde sustinui, dum ad nos quotidie flagitiorum tuorum fœtor ascendit, et aures nostras gravior sonus nequitiæ sævientis exasperat. Silui tamen hactenus dum pœnitentiam tuam credulus exspectator attendo, aut divinæ manus non credo differendam diutius ultionem. Sed nobis circa te divinæ longanimitatis et patientiæ proponenda exempla, tuque semper eo vehementior, in Ecclesiam Dei singulis diebus indefessus persequutor insurgis. Quousque igitur abutere patientia Dei? Quousque mentem tuam inæstimabilis ista cæcabit ambitio; et a veritate pecuniæ sitis hæc inexstincta prævertet; Numquid miseram senectutem tuam, et instantem decrepiti corporis naturali necessitate defectum, et hiantis sepulcri claustra non vides? Non sentis

superexcrescens circa te divinæ longanimitatis augmentum, æternæ tibi damnationis supplicia cumulare, ut nulla jam excusatio divinam minuere valeat ultionem? Totus execrandi corporis tui labor et otium, tota reprobatæ mentis astutia, totum in hoc detestabilis vitæ tempus impensum est, ut militare pro Ecclesia videreris, et contra Ecclesiam dimicares. Nunc autem manifestavit Deus consilia cordis tui, et tenebrarum tuarum abscondita revelavit; ne dubia existimatione de te diutius hominum judicia fallerentur. Patet te proditorem Ecclesiæ fuisse, cujus te simulaveras esse patronum. Patet te venatorem tantum fuisse pecuniæ, qui venator constitutus fueras animarum. Sed quoniam animalis es homo, carnosus perinde et carnalis, quæ Dei erant percipere non potuisti, et invisibilia ipsius conspicere contemsisti. Ne vero adversum te hunc animi temeritate potius quam ratione videar suscepisse sermonem, placet operum tuorum mihi seriem explicare, quibus possis hominibus contemptibilis, Angelis execrabilis, Deo condemnabilis inveniri.

Qualis igitur a primo Pontificatus tui tempore fueris: quid in principio orientis in Ecclesia tempestatis egeris, quibus eam postea operibus infestare non cessas, ordine transigetur. Prætereundus est igitur ortus degener, paternæque domus familiaris inopia, quæ te totius natalis Normanniæ finibus abegerunt; ut ad ignotæ gentis limina peregrinus, et mendicus adstares. Taceo ignobiles pueritiæ quæstus, ignominiosam adolescentiæ famam, juventutis avara commercia, ne aures eorum ad quos hæc scripta ventura sunt, tuæ sordibus incontinentiæ simul et avaritiæ polluantur. Venio ad virilis ætatis tempora, sub quibus te in Episcopum non vita probabilis, non præcedens deliberatio, sed casus ad-

duxit, et cœcarum ex præcedente discordia mentium motus impellens. Dum enim adversum se eligentium multitudo divisa consurgeret, diversasque personas alternus postularet assensus, in te voces omnium fortuna convertit: non quia in te satis commode provisum Ecclesiæ crederetur, sed ut exitum qualemcumque tumultus offenderet. Maluit te scienter indignum pars utraque excipere, quam prævaluisse pars altera videri. Redit in mentem mihi miserabile illud nefandissimumque spectaculum, dum te præcurrentem multitudo reliqua sequeretur: et tu Clerum quadam celeritate præires ad cathedram, ne revocata ratione stolida mutaretur impulsio, cum alii quidem trahi soleant, et plerumque compellantur inviti. Ea die de Engolismensi Ecclesia veritas et misericordia recessit, dolus impietasque successit, rerum status in deteriora mutatus est, nitorem suum singula perdiderunt. Imminutus est enim decor et cultus Ecclesiæ, periit ecclesiastici ordinis venerabilis illa religio; Principum reverenda severitas, populique laudabilis honestas interiit. Ecclesiam quidem Episcopalem de mortuis ædificasti lapidibus, non ut domum Domini decorares, sed ut inde conquirendi pecuniam duceretur occasio, et adversus male suspicantem populum mendax excusatio non deesset, dum quæsita reconditur. Dicebatur ad opus Ecclesiæ postulari, quidquid ad tuam cupiens avaritiam exigebas, et dum unum de pluribus, de maximis minimum impendisses, volebas ut erogasse pariter omnia crederis.

Ubi igitur tali in Episcopatum sorte provectus es, insolentia, quam ante paupertas represserat, efferri cœpisti; petulantia, quam privatus exercere non poteras, bonos quos libuit insectari, rapinis et exactionibus exinanire provinciam: judicia sola mune-

rum comparatione formare, commutare rerum omnium status, nobilium labefactare fortunas; nepotibus tuis, quos natalis soli finibus eadem quæ te causa depulerat, rerum tradere summam, et dignitatibus Ecclesiæ sublimare, quasi Platonem scientia, Catonem moribus, Scipionem genere superarent. Quos illiteratos quidem et ad res illicitas impudentius effluentes, obscuro loco natura produxit. De quibus, ne nova extra ordinem sumatur oratio, dixisse sufficiat, avunculo dignos esse nepotes, quos tibi cum natura consanguinitatis, tum educatio, tum quod a te sumebatur exemplum, vitæ similitudine conformavit; ut a natura principium, ab educatione promotio, ab exemplo ambitionis, avaritiæ, libidinisque duceretur auctoritas. Reliquis autem Ecclesiæ dignitatibus, et beneficiis, quæ in unum coacervare non poteras, eisdemque conferre, qui pecuniosior, is dignior habebatur. Non attendebatur honestas, sed manus onustas potius exspectabas. Basilicarum dedicationes, benedictiones altarium, Sacerdotum constitutiones, eodem quo cætera more tractasti, ut plane nihil faciendum putares, quod non alicujus emolumenti auspicatio præveniret. Nullam virtutibus gratiam rependisti, nullum quoque supplicium vitiis irrogasti, neminem ad vitæ innocentiam informasti.

Si quis de incestu quolibet sonus emersit: si quis adversus immunditiam exarsit castitatis amore, in silentium te cohibente redactus est. Engolismensem Abbatissam quidam tuus Archidiaconus gravidam pravo fecit accessu. Porro facinus ingravescentis uteri tumor excedens, et naturalis effectus aperuit. Quod dum propter insolentiam criminis, divinitatisque contemptum civibus incredibile videtur, parturientis Abbatissæ gemitus, et novi partus crepundia fidem fecerunt. Universa igitur civitas ad-

miratione perculsa est: qua cogitatum impatientia, qua temeritate conceptum, qua denique impudentia posset esse completum, quod homo animarum custos, Episcopalis oculus, Ecclesiæ columna, sponsam Domini, Virginum ejus matrem atque custodem, non compellasset verbo tantum, sed opere polluisset, et cubile patris animo fornicantis intrasset, eamque Deo, quæ homini quoque tam contumeliosa quam opprobriosa est, irrogasset injuriam. Suscitat ad vindictam Comes, cui eamdem germanus sanguis conjunxerat Abbatissam, et cum in caput adulteri ferro prius animadvertere decrevisset, ad te, ut canonice dictaretur sententia, accessit. Rem igitur patefacturus, ter vocem in media narratione continuit vir illustris, qui mentem suam contemplatione sceleris, linguam relatione fieri sordidam judicabat. Explicuit tandem remota quadam circumloquutione quod cœperat, ut qui serpentem, prunasve reconditas diutius latere non sustinet, manu tamen nuda recusat utrumque contingere, ne vel uratur altero, vel altero polluatur. Quis digna satis laude efferre valeat quanta principis fuerit in prima sceleris animadversione severitas; quanta in ultionis exequutione discretio; qualis in referendo modestia successit? Quis igitur hoc saltem exemplo magnum in Præsule rigorem justitiæ non exspectet? Stat in memoria Pontificis digna relatione responsio. Replicabat Comes rem non absque divino contemptu, naturæ contrariam, sæculoque mirabilem contigisse; quam divinæ etiam religionis ignara gentilitas supremo puniendam supplicio decrevisset. Tu vero præter ætatis tuæ debitum, præter ordinis et episcopalis officii dignitatem, singula verba lasciviore prosequente cachinno, te sane simplicitatem Principis non satis admirari posse dixisti, quod naturæ contrarium diceret, sæcu-

loque mirabile, quod de viro femina concepisset: sed in opposito stare miraculum, si de femina virum contingeret impraegnari. O stupenda mentis obstinatio! o detestabilis impudentia linguæ! o digna depositione responsio! Exspectabatur ut adversum facinus exardesceret Episcopalis indignatio, sed ei quasi gratulanter lascivia senilis arrisit, et quod gravitate censoria punire sententia debuisset, nova Proteus auctoritate firmavit. Non potes excusare quin populo dederis certam similia faciendi licentiam, cum singulis ex ore tuo pendentibus, novum facinus et ignotum, nec verbo nec opere condemnasti, sed quasi licitum arridentis facie præsignasti.

Quis igitur animi compos ex hoc reliquas tuæ mentis et vitæ partes manifesto non teneat? Numquid enim si quis in majoribus intemperans, et petulantissimus invenitur, a minori crimine temperabit? Quid ita? Quoniam qui ab incestu sacrilegioque non abstinet, is ubi luxuriæ flamma, vel avaritiæ satis incensa est, fornicatione simplici, vel rapina, nec corpus inquinare, nec manus implere cunctatur. Quid ad hoc? Quia qui alieni criminis non offenditur spurcitia, sed exultat, id in propria voluntate non damnabit expertus. Quid igitur? Numquid si in sponsam Domini zelare, si ipsius divinitatis injuriam vindicare sprevisti, circa tuendas hominum nuptias negligenter egisse convinceris, et ipsorum injurias non curasse? Exstat ipsius testimonium veritatis in simili. Non differetur quin fiat in arido, quod in ligno viridi fieri festinatur.

CAPUT II.

Ad hæc autem, ut his etiam operibus exercendis diffusa materies, libera facultas, inconcussa fiducia

non deesset, quæsita et impetrata est Ecclesiæ Romanæ legatio. Angebat te hinc læsæ conscientiæ reatus exuberans; hinc comprovincialium Episcoporum nota severitas, hinc Burdegalensis Archiepiscopi suspecta prælatio, quem loco confinem tua non semper opera fefellissent. Ambitio quoque tua quasi quibusdam sibi coarctata videbatur angustiis, dum fauces tuas unius Episcopatus spolia non implerent. Ac si ergo omnia in Episcopatu tuo compositio plena firmasset, nihilque novi operis casus afferret, effecisti, ut quinque Archiepiscopatibus singulari potestate præesses, et in ipsis vices Romani Pontificis exerceres. In quo quod Romanæ Ecclesiæ surreptum est, non credo mirabile, si in tanta negotiorum multitudine, in tanto pondere rerum animus humanus aliquando fatiscat, cum non sit spirituum semper certa discretio, per quam fallacium votorum compellatur indignitas, et rectis debitus commodetur assensus. Nec inconsiderate tamen, quantum humana potuit ratione perpendi, commissa tibi est quæsita legatio. Æstimabatur quippe quod in Episcopum non sortis eventu, sed ratione promotus fuisses. Nec verisimile videbatur, quod in electione tua Clerum, Principem, populum, in examinatione tua Coepiscopos, Archiepiscopum ejusdem cœcitas implicuisset erroris. De operibus quoque tuis, nihil adhuc quisquam Romanus audierat: quæ finitimis et remotis, his quidem astuta dissimulatio, illis vero locorum distantia nullatenus esse nota sinebat. Ad summam, ne veritati derogetur in aliquo, inerat tibi circa gerendas res nota discretio, quam plurima sane litterarum scientia confirmaret, et utriusque facundia sermonis ornaret. Quæ quidem, quoties si non zelo caritatis divina gratia largitur ingrato, in testimonium justæ damnationis adjuncta creduntur. Dum igitur Romanus

Pontifex sollicitudinis suæ pondus attenderet, te in oneris sui participationem gratulanter excepit, quem ministrum fidelem fore credidit, et prudentem.

Ab inde igitur inconcussæ prærogativa potestatis armatus, libera in Ecclesiam Dei facultate grassatus es, singulorum vel depopulando quidem, vel augendo substantias, infimis summa, summis infima commutando, ut plane quasi fortunarum auctor existeres, quem de status sui qualitate vel laudare possent omnia, vel causari. Ab inde tua diffusioribus spatiis effusa cupiditas, copiosam rapacitati suæ materiam non defuisse gavisa est. Quid ergo manifestas exactiones? Quid familiaria ob periculum justitiæ suscepta dispendia dicam? Quid generales synodos? quid fatigatas venerabiles ex remota regione personas edisseram, ut Concilio præsidens generali amplitudinem tuæ potestatis gloriabundus inspiceres, et ambitioni satisfaceret contemplatio subjectorum? in quo opere quam perversa fuerint omnia promptum est intueri. Ad hoc enim Concilia celebrari sanctorum Patrum sanxit auctoritas, ut inde virtutum doctrina, malorumque correctio proveniret, et velut exercitus sui facultate conspecta, ipsam se plenius Ecclesia mater cognosceret, ut adversum vitia severius insurgendo, instantium bellorum triumphos posset confidentius auspicari. Te vero ad hoc ea convocasse quis dubitat, ut cupido animo tuo, et libidini dominandi morem gereres; et cum satietatem discrete singularum causarum lucra non præstant, ipsam plurium multitudo congregata conflaret? Proh dolor, et miserabile cadentis Ecclesiæ detrimentum! Videre mihi videor, te quasi taurum pinguem in sublimi synodalem cathedram insedisse, dispositosque inferius Catholicos ex ordine Patres quidquid in causis conscia veritatis

prætendat oratio, pari desperatione languentes, sub incerto ruentis sententiæ fluctuare. Malos vero quanto impudentius quidem, tanto animosius insistentes efferri, quos polliciti vel collati muneris confidentia suscitat et inducit. Quod non sine quodam indignationis motu mihi mente reformo; dum intemperantiæ tuæ recordor impensum, quod ad decorem Ecclesiæ noscitur institutum. Pervulgatus est conciliorum honos, et dignitas abrogata, quibus te præsedisse constat, et nova Gentibus Romano more decreta formasse. Super quo graviter indignatus, festive simul et honeste senex Venetensis illusit. Is cum ad quoddam Concilium tuum inter Coëpiscopos vocatus adesset, pastoralem virgam rudem et incompositam prætulit, indumento veteri, quod multa jam scissura rupisset, amictus. Interrogatur igitur cur in tam vili et irrisorio habitu processisset; libertate conscientiæ munitus; Tale, inquit, Concilium talis decet ornatus.

Qualis ab initio Pontificatus tui exstiteris, minus pleno, sed veraci sermone digestum est: nunc vero quid egeris dum adversus Ecclesiam procella tempestatis insurgeret, consequenter annectendum est.

CAPUT III.

Cum sublatus e medio bonæ memoriæ Papa Honorius, terræ corpus, cœlo spiritum, sua singulis debita resignasset, eique successione dignum canonica surrogasset electio, Ecclesiam Dei Petrus ille Petri-Leonis invasit. Placet hoc loco mihi utriusque personæ describere qualitatem, ut de duobus similem similis elegisse proberis, et cupidum cupidus adorasse. Parcendum tamen est obscœnitati verborum, dum Petri vita narratur, et rerum veritas sermonum

pallianda decore, ut honos habitus honestati legentium videatur. Libet igitur præterire antiquam nativitatis ejus originem, et ignobilem similem prosapiam, nec Judaicum nomen arbitror opponendum, de quibus ipse non solum materiam carnis, sed etiam quasdam primitias ingeniti contraxit erroris. Ipse enim sufficiens est, et copiosa materia, neque quidquam domui ejus ipso turpius vel esse vel fuisse conjecto. Cujus avus cum inæstimabilem pecuniam multiplici corrogasset usura, susceptam Circumcisionem baptismatis unda damnavit. Pudebat eum impotentiæ suæ potius quam erroris, ne genus ejus infidelitatis opprobrio confusum, perpetua damnaret obscuritas. Susceptis itaque fidei sacramentis, ubi novus civis insitus est, factus dignitate Romanus. Cumque ipsi numerosam progeniem series successionis afferret, dum "genus et formam regina pecunia donat," alternis matrimoniis omnes sibi nobiles civitatis ascivit, machinante jam humani generis hoste ut quasi quodam veteri fermento, tota Romanæ sinceritatis conspersio corrumperetur. Ex hac itaque diversorum generum mixtura, Girarde, Petrus iste tuus exortus est, qui et Judaicam facie repræsentet imaginem, et perfidiam voto referat et affectu.

Porro ipsum a cunabilis, ab ipsius nutricis uberibus, Apostolatui præsaga parentum destinavit ambitio; atque post prima litterarum rudimenta docendum delegavit in Galliam, ut illius regni benevolentiam ipsi morum, linguæque conformatio vendicaret. Totis igitur annis pueritiæ suæ, ut honestius inhonesta dicantur, ad omne se quod alteri collibuisset exposuit, metuque Romani nominis importunus exactor, alienis adolescere non refugit expensis. Et tamen hæc aliquantulum modestius exacta sunt, dum ipsum disciplina scholaris inhibet,

et quotidianæ præpedit instantia lectionis, et quædam crimina naturalis impotentia removet ab ætate. At vero postquam adolescentia et peccandi facultatem, et licentiam fecit liberius evagandi, si qua superbia, si qua petulantia est, tum vere ipse superbus et petulans omni intemperantiæ sese satis impudenter addixit. Profecto cum in his operibus nec Deum dignatur revereri, nec hominem, tantam sibi suscitavit infamiam, ut ejus ortu, ambitione, vitaque præcognitis, ipsum esse Anti-christum universitas gentium passim crederet, et publice testaretur. Augebat fidem, quod ex Judæis ortus; quod totius mundi dominium Romanæ sedis auspicabatur obtentu; quod vitiis deditus, infamiam nulla virtute redimeret, et quod infinitam patris et avi pecuniam deinceps possessurus esset. Ipse autem adeo hujus nominis gloriabatur opprobrio, ut etiam ruina orbis non erubesceret appellari. Testis est Vizeliacensis Ecclesia, apud quam dum veteres ad innovandum ipso audiente diruerent officinas, ad contemplandas parietum ruinas sese duci propensius exigebat. Percunctatusque cur id videre tam sedulus exoraret; quoniam magnarum me, inquit, rerum ruina delectat, eo quod orbis ruina futurus esse prædicar. Post hæc habitum quoque monachatus excepit, ut vitia mentis ovino velaret amictu, opprobria vitæ præteritæ Cluniacense nomen obnuberet, et virtutis existimationem bonorum societas quæsita referret. In quo etiam ad hæc quæ in futuro sibi mens præsaga spondebat, Cluniacensiis Ecclesiæ venabatur auxilium, eo quod inter Ecclesias Gallicanas nulla sit nomine religionis illustrior, nulla consilii discretione prudentior, nulla promptior ad obsequia caritatis, nullius in gerendis rebus auxilium vel promptius, vel efficacius esse potest. Reversus denique Romam, illi

venerabilium seniorum sacrosancto conventui, annitente patre fratribusque, conjunctus est; et Cardinalis factus, honoratus nomine, tituloque ditatus est. Nullus quippe fortassis ad aures summi Pontificis infamiæ Petri fumus ascenderat, eoque tanti viri sublimitatem singuli reverentes, sanctis auribus perturbare turpia reformidavit. Sub hac igitur ignorantia, dum in ipso monachalis habitus, dum Sacerdotii Sacramentum, dum parentum vis attenditur, exceptus est sub Patrum silentio, non assensu; quibusdam patriæ potestatis timore vel amore silentibus; quibusdam vero sperantibus meliora de reliquo. Quoniam habita inter bonos conversatio quosdam quidem corrigit et emendat, alii pœnam ex transgressione timentes, necessitatis abstinentiam convertunt in sincerum voluntatis affectum.

Deinde ad diversas partes functus legationis officio, cupiditati suæ potius quam justitiæ satisfacere studuit, adeo ut illi ea tantum bonos exitus habuisse negotia viderentur, quæ merces adjecta, et marsupii plenitudo subsequuta probaret. Ubi ergo nullis intervenientibus causis, nulla rapinæ præstabatur occasio, tunc exactio blanditiis, vel comminatione plena non deerat. Bina singulis diebus sumptu plurimo convivia parabantur, tantusque ciborum luxus et superfluitas erat, ut ad exquisitas ferculorum varietates, sollicitari plerumque figulos oporteret, et ignotæ compositionis nova vasa formare. Docebatur etenim figulus amphoras figmento plasmare mirabili, quibus ad similitudinem solii per transversum medium discrimen inesset, statusque superior repositis escis, fumum per modici oris respiraret angustias, inferior vero pars cancellatis arcubus undique perforata prunas clauderet; quibus thuris copiam tamdiu sollicitus minister infunderet, donec coctis cibis odorem ipsum trans-

ferret cocus artifex in saporem. Quæ profecto gulositas naturam prorsus humanitatis excessit. Humanorum quippe sensuum perceptiones naturalis ratio certa lege discrevit, singulis singulas rerum qualitates assignans; nihilque confuse alicui commune cum alio dereliquit. Hic vero dum thuris odor transfertur in epulas, quod odoratus est, gustui vendicatur, fitque in rerum qualitatibus ignota confusio, et in sensuum perceptionibus communicatio non naturæ. Quod divino etiam non potuit carere contemptu, dum in hoc ardenti gulæ peregrinus sapor exquiritur, quod sacris adoletur altaribus, quod ad signum Deitatis in Christo præsaga trium Magorum devotio præsentavit; quod solum utrius legis tempore de terrenis rebus gratum Deo esse et fuisse creditur holocaustum. Taceo quod hæc effusio non apud divites tantum, sed apud inopes fiebat Ecclesias, quibus postea id luere multis jejuniis et algoribus oporteret. Cumque pauperes Episcopos, vel Abbates profusioribus quam domi didicerat, vexasset expensis, in ipsa Ecclesiarum ornamenta satis impudenti sacrilegio grassabatur, ut plane sponsam Domini spoliare, suisque privare monilibus ausu temerario videretur.

Profusa vero convivia tanta libidinum spurcitia sequebatur, ut ab ipso passim quidquid occurreret, adiretur. Sororem Tropeam (sed nec dici fas est) bestiali polluisse narratur incestu; et ex ea abominabili prodigio eosdem sustulisse filios, quos nepotes, nepotum pater, filiorum factus avunculus, sic naturæ jura confudit, ut eosdem sibi invicem fratres faceret et cognatos; jam nec Judæus quidem, sed Judæo etiam deterior. Nulla sexuum, nulla loci vel temporis, nulla professionum. Sed hæc silere decentius, ne si hæc ipsum indifferenter excepisse protulero,

honestius potuisset silentio præteriri. Sic actum domi: nec ab eisdem legationum tempore temperatum. Ut enim turpiora prætercam, circumducebatur puella, cui in fraudem videntium adolescentis speciem vestis et tonsura conferret, quæ singulos æstus toleraret, singulos solaretur affectus. Eo gratior, et quasi quodam novitatis affectata miraculo, quod dum virum facie, reliquis mulierem partibus exhibet, uterque sexus ipsi in eodem corpore videbatur exponi. Testis est Montispesulani populus, et circumjecta provincia se vidisse. At ne satietatem præstaret identitas, quærebantur et aliæ, quarum ipse nocturnis fungeretur amplexibus, quibus ipse se Papam futurum in ipsa turpi commixtione jactaret. Multæ in Galliis sunt et Aquitania civitates, quæ id apud se dictum certa fide testantur. Gratulare, inquit, in tanti te viri devenisse complexus, quem Papam futurum totus orbis exspectat. Numquid Apostolatus gradum, Petre, tibi talis conversatio promittebat? Numquid dispensatores domus suæ Christus Ecclesiæ sponsus et defensor hoc verbo docuit, vel monstravit exemplo? *Estote*, inquit, *sancti, quoniam ego sanctus sum*. Qui igitur successurus est Christo, oportet eum sicut ille ambulavit, et ipsum ambulare. Si quis autem post ipsum iturus est, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur ipsum. Crucem vero non tollit, nisi qui castigans corpus suum, et in servitutem redigens, in comessationibus et ebrietatibus, in cubilibus et impudicitiis, legem Dei, nequaquam dissolutus, excedit. Ipsum non sequitur, nisi qui divinis intentus operibus ascensiones in corde suo disponit, donec de virtute in virtutem videatur Deus. Tu vero, Petre, cum de vitiis casu continuo devolvaris in vitia, et signatum super te lumen divini vultus obtenebres,

deformata jam divinitatis imagine, et ipsius similitudine flagitiis obfuscata, qua temeritate Christi successor esse præsumis, cujus prius similitudinem non assumis? nulla enim conventio Christi ad Belial, nulla lucis ad tenebras communicatio.

CAPUT IV.

Hic est ille, Girarde, hic est ille tuus Papa, quem recipis, quem Universitati fidelium solum decens Caput assignas, qui sponsus Ecclesiæ, qui Christi Vicarius, qui Petri successor, vitæ forma fidelibus, gregem verbo prædicationis instruat, et istius scilicet operationis exemplo. At vero quis sit iste quem reprobas, consequenter attende. Si genus ejus recensita nativitate disquiritur, fidelis natus ex fidelibus advertetur. Si parentum in ipsius educatione vel doctrina consilium, ut habitaret in domo Domini omnibus diebus vitæ suæ, et videret voluptatem Domini. Si personæ qualitas: ut prius habitudo corporea describatur, vir staturæ mediocris, quem nec abjectum brevitas, nec immanem reddat immensæ quantitatis excessus. Apparet in oculis ejus et vultu robusta simplicitas, et quæ castitatem animi probet verecundia faciei. Quæ profecto facies tanta dignitate resplendet, ut et ipsi quamdam reverentiam ingerat intuenti. Ei quoque hanc inter cætera munificentiæ suæ dona specialem gratiam vis divina largita est, ut omnes se videntes mansueta sibi benignitate conciliet, et dilectionem solo nanciscatur aspectu. Ipsius etenim oculis divinum quiddam superna bonitas inspiravit, quod plenum gratiæ, quod reverentia dignum, quod honori congruum generaliter arbitretur. Vox blanda; sed non in nimiam tamen resoluta molliciem, ut et suavitati favor, et magnitudini non

desit auctoritas. Continua vultus alacritas, risus in sermonis excursu sæpissimus, tanta tamen habitus honestate, ut verborum vultusque possit augere, non minuere dignitatem. Quod quidem eo magis allicit intuentes, quoniam id in ipso quoddam illius æternæ jucunditatis videtur initium, cujus eum in ipso corpore quasdam existimo primitias accepisse.

At si vitæ consideretur integritas, et a primis annis sub examen omnia redigantur, nihil deformatum crimine, nihil infamia condemnatum. In eo enim nil illiberale pueritia, nil adolescentia fluxum, nil juventus infame, nil virilis ætas edidit indecorum. Inconcussa fides operationi bonæ fundamenta præstruxit. Consilio providus, benignus alloquio, facundia celebris, quam nec verborum fastus elatam, nec multitudo faciat effluentem. Tantumque apud omnes bonæ existimationis servabatur et gratiæ, ut quod alias perrarum est, esset ei ante electionis ejus tempora nullus hostis. Cibi, potusque tanta sobrietas, ut illis non fastidium, sed abstinentiæ modus terminator assistat. Vestitus autem Apostolatus tempori sane conveniens; quem nec professio clericalis excluderet, Cardinalatus dignitas non horreret. Quibus enim impræsentiarum vestibus induatur, jam non ex ipsius pendet arbitrio, sed Sanctorum Patrum antiqua constitutione decretum est. Prædicta vero Cardinalatus dignitas, ab ipso non impetrata quidem, sed ob vitæ mundioris et scientiæ plenioris meritum, ultro data. Cujus muneris sic gessit officia, ut suis ipsum laudibus ampliaret. Fiebat honos titulis sui possessoris illustrior, nec tantum propria, quantum administrationis suæ gloria præfulgebat. Adeoque cæteros egregiæ prærogativa bonitatis excesserat, ut nec restare locus invidiæ videretur, eoque plane quisque suos ad æqualitatem

ipsius aspirare non posse conatus adverteret: neque quidquam cujuslibet laudibus ipsius prælatio derogaret.

Postremo si non ille humani generis perfidus adversator in Petro Leonis Ecclesiæ Dei præstruxisset insidias, nulla jam post Papam Honorium de successione quæstio superesset, cum vir unicus unicæ dignitati divina jam videretur providentia præformatus. Ipsum enim hoc divinitatis consilio talem constat esse plasmatum, ut dum adversus Ecclesiam vis hujus persequutionis insurgeret, esset qui se tempestati sui securus opponeret, et inter fluctus periclitanti naviculæ subveniret. Cumque ipsum ad hoc onus omnium pene conscientia destinaret, ipse sibi jam adeptæ dignitatis locum nequaquam videbatur explere. De se enim citra suam credere facultatem judicium sapientis est. Quod ipse de se satis evidenter edocuit, dum ipsum eligentium corona clauderet, et ad Apostolatus fastigia vocaretur; instabant precibus, et reclamantem lachrymis obsecrantes, injecto pluviali renitentem manibus etiam comprimebant. Cumque ipse injectam sibi vestem secundo (ut aiunt) totis viribus obsistendo rupisset; illique nihilominus instandum crederent, si quid sanctis electionibus creditur, timuerunt, ne inter manus eorum tanta reluctatione et compressione fatigatus obiret, et suffocatam singultibus animam protinus exspiraret. Manibus igitur, donec modicum respiraret, inhibitis, dum tertium ex longinquo pluviale requiritur, inter rorantes adhuc lachrymas, et erumpentes usquequaque singultus, sic affatur astantes: Expediret instans negotium exclusa animorum affectione tractari, ne caritatem zelus alteruter impediret, et generale commodum odio familiari, vel gratia in oppositum verteretur. Sæpius enim præoccupatas mentes fallit

affectio, ut et dignos odia reprobent, et indigni suggerente gratia præferantur. Quam quidem gratiam in hoc vires sibi video vendicasse præcipuas, ubi sola obtinere debuerat expensa pari lance ratio meritorum. Nam ubi me pari voto contenditis tantæ præficere dignitati, profecto non obtinet examinatio meritorum, palamque prævalet indulgentior gratia, quæ me vobis nunc et hactenus in imperfectis operibus acceptabilem præstat. Per quam etiam olim huic sancto me voluistis inesse consortio, quem dejectum inferius longe morum qualitas amovisset. Quem tamen locum etsi vir nullius virtutis tenuisque scientiæ impleret, vestra infirmitatem meam sapientia supportabat, quos ejusdem sollicitudinis idem Dominus in eadem paritate fecit esse ministros. Verum, oportet nunc ex meritis, non ex gratia judicare, nec gratiosum tantum, sed et dignum constituere Sacerdotem. Hic enim nullum capietur ex paritate solatium, ubi consortem muneris prærogativa singularis excludit. Excludatur ergo benevolentia, et persona comparetur officio ad quod vocatur: vita probabilem, scientia præditum, celebratum fama tantus honor exposcit; ut ipsi divinum favorem probabilis vita conciliet, gerendorum facultatem scientia conferat, et nominis celebritate clara comparetur auctoritas. Quales ex hoc ipso numero promptum est inveniri. Quis ego sum, sub cujus arbitrio rerum summa versetur? Quis, inquam, ego sum, quem Papam Roma salutet; qui non inter primos dumtaxat, sed etiam primorum primus assigner? Indignum qui præficit, afficit injuria dignitatem.

Talia dicentem, et adhuc dicturum plurima si liceret, hoc sermone cœtus assistentium desperatus excepit. Excusationum dispendia periculum imminens, et articulus necessitatis excludit. Stat enim in

insidiis leo paratus ad prædam, occasionem, sicut et ipse nosti, præstolatus a puero, cujus si non præveniatur assultus, si non impetus obtundatur; nulla jam libertatis spes, nulla prorsus honestatis disciplina relinquitur; antiqua Ecclesiæ Romanæ dignitas occidit, ipsius gloria commutatur opprobrio, et formidata extremis hominum potestas vertitur in contemptum. Si enim est ille, sicut equidem est, vita contemptibilis, et pollutus infamia, restat ut contemptum potestas ipsa contrahat ex persona. Quis enim bonus subesse non recuset infami? Quis ad honestatem coarctari inhonestioris arbitrio non refutet? Si autem honor iste rite deferendus est digniori, profecto apud omnes infinitorum criminum Petri prælatio nos condemnat. Arguemur nimirum de nobis turpiora confessi, quam de ipso fama vulgaverit, si nobis ipse quasi dignior antefertur. Æstimabitur etiam non displicere nobis, quod nec in altero nos damnamus, sed et sustinentes, crimen consensus incurrere, et rei veritate, et existimatione publica convincemur. Fuit, fuit hactenus hæc Romana Ecclesia caput Orbis, penes quam constantissima fides, suprema potestas, honestas incomparabilis, inconcussa severitas, gerendorum summa discretio, et nota toti mundo pietas viguisset; fuit, inquam, fuit hæc olim terror improbis, bonis in tranquillitate præsidium, in necessitate refugium singulare; a cujus integritate minores Ecclesiæ vires sumerent, et velut ab illæso capite membra saucia suæ sortirentur initia sanitatis. Nunc autem instat et a fide discessio, et antiquæ desolatio potestatis, et omnium bonorum; ejus casus manifestus apparet, dum homo peccati, perditionis filius revelatur, ut adversetur, et extollat se supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ut in templo Dei sedeat ostendens se quasi ipse sit

Deus. Apostolo itaque manifeste dicente cognoscimus, quoniam vel ipse Antichristus est, vel in ipso nobis Antichristi tempora præparantur, cujus idem præambulus et minister emergit. Ecce enim jam jam intrusionis suæ comparat adjutores, et conspirata in Ecclesia Dei factio convocatur, quam illi genus, potentia, largitio, promissiones, et scelerata dudum conjuratio fœderavit. Destitutas pastore lupus oves aggreditur, et vacuam sedem primus properat usurpare, quod subrogato pastore præsumere forsitan non auderet. Non enim nisi cum abest Moyses, vitulus conflatur a populo. Ad quod tamen si ipsum postea temeritas ambitiosa compelleret, saltem quem sequeretur fidelis populus inveniret. Super quo supremum sibi in te constituit Ecclesia sancta consilium; ut tua regatur providentia, tuo annitente studio liberetur. Aluit hæc te, et cum in aliquo tui non egeret, excepit, ut in summa tranquillitate suis educaret uberibus, et proprio foveret amplexu. Nunc mutuum postulat, et suorum repetit præmia meritorum, ut scilicet in necessitate subvenias, et oppressæ præstare subsidia non recuses. Numquid matrem clamantem non audies? Numquid non solaberis desolatam? Numquid non exaudies exorantem? Numquid postulatam manum labenti coram te non porrigens sustinebis?

At vero prætendis ex indignitate tua subterfugii causam, quasi nos prudentiam tuam, et singularium partium vitæ tuæ merita nesciremus. Profecto si te dignum crederes, hac ipsa æstimatione videreris indignus. Dicis quoque nullum sperari hic ex paritate solatium, quasi ab inferioribus consilia, et obsequentibus auxilia nequeant exhiberi. Numquid illud præcipue nobis onus incumbit, cum velut in humano corpore, is qui præsidet capitis formam, membrorum

reliqui similitudinem gerant: ut qui præest nutum adhibeat, difficultates expediat obsequentium labor? Revereris etiam pudore laudabili subire tantæ fastigia dignitatis, in quam suprema Regni et Sacerdotii prærogativa mirabili fœdere copulata conveniunt. At nos, non ad honorem te, sed ad periculum potius invitamus. Nec enim sumus ignari, quid adversum nos ille adversarius machinetur. Jam stringit gladios, jam sagittas acuit; nec viam sibi ad Apostolatum patere, nisi nostri sanguinis effusione confidit. Quantumcumque tamen discrimen nobis mortis immineat, maluimus sanguinis nostri mercedem de manu divina requirere, quam de manu nostra sanguis Ecclesiæ requiratur; quamvis te mortis socium quærimus, imo volumus etiam præcursorem. Exponatur jugulus tuus sicut noster ad victimam, neque enim fas est, ei qui dedit negare spiritum, cum reposcit. Si quid igitur te matris desolatæ calamitas; si quid inundans assistentium fletus; si quis ullus honestatis amor, si quid virtus obedientiæ movet, acquiesce. Si acquiescis, exhibemus obsequia: si recusas, exigimus de inobedientia pœnam. Eadem enim quæ Papæ superstitis est, ipso decedente penes nos præcipiendi et ulciscendi quoque consistit auctoritas, donec alius inducatur.

His dictis parabant excommunicationis promulgare sententiam, allatum interim ex longinquo pluviale præ manibus offerentes. Quid faceret? tentaret ex fuga subsidium? At illud continua seniorum corona claudebat. Postularet inducias? sed quominus impetrarentur, dilationem rei instantia Petri machinamenta negabant. Negaret semper? At illi gladio spiritus imminebant, anathematis pœnam protinus intentantes. Dum ergo sibi videtur inter geminæ mortis conclusus angustias, alterique eorum lege

necessitatis obnoxius, discrimen periculi corporalis excepit; quia dum respuit anathematis experiri sententiam, insidiis, imo potentiæ sese Petri Leonis objecit. In eo autem quo ordine sequenti die Petri processisset intrusio, non diutius immorabor, quam ut dixerim virum turpem, fœdatum infamia, publica existimatione damnatum: posterius a . . . . . . et parentibus esse promotum. Ad te potissimum, Girarde, revertar, ut quid egeris orta tempestate cognoscas, et aures tuæ eorum quæ male gessisti contundantur auditu.

CAPUT V.

Nuntiato in Galliis schismate, dum pro partibus vario favore multi multa loquuntur, fidelisque populus ancipiti raptatur errore, primus Regum Catholicus Princeps Rex Francorum Ludovicus occurrit. Is vocatis Episcopis, et omnibus qui probatæ religionis in Galliis habebantur, convocato etiam Clero regnique Majoribus, Concilium statuit generale. Cumque se Petro-Leonis ob sua et patris obsequia fateretur obnoxium, nihil tamen super hoc celsitudini Regiæ voluit arrogare. Episcopis, et Patribus qui ex monastica religione convenerant, omni tradita potestate, ut eis, et in eos omnis diffinitio conferretur; eo quod penes sanctos Episcopos Ecclesiæ dispensatio tota consistit: et Abbates, quos divinitatis contemplatio recreat, divina latere consilia non creditur. Cui concilio quoniam interesse, Girarde, non poteras, cum litteris tuæ deformitatis imagine consignatis nuntium destinasti. Utramque te novisse personam, et electionis ordinem plenius exquisisse, procul dubio cum Innocentio Papa stare justitiam, eo quod plane vir esset honestatis egregiæ;

et ipsius electio prima tempore, et a præcipuis Romanæ Ecclesiæ fuerat celebrata personis. Porro Petrum per opulentam manum Cathedram posterius usurpasse, virum adeo vita reprobatum et nomine, ut si ipsum etiam quælibet electionis forma defenderet, promoveri tamen vitæ qualitas, et infamia minime sustineret. Id tibi, et tuæ legationi subjectis ratum fore; idque cum Lugdunensem, tum Viennensem Ecclesiam, tum totam fere Italiam ab ipsis urbis mœnibus excepisse. Aderant autem ibidem venerabiles quæ Romæ fuerant sub eadem tempestate personæ, quæ rerum seriem plane cognoverant, præsertim quæ oculata fide singula percepissent. Habebantur quoque super hoc ipso et aliarum quæ non aderant ultro delegata testimonia: simul et persuasiones personarum, quas spiritum Dei habere certa fides esset, cum tot hominum sensus in eamdem forte confluerent voluntatem. Sicut enim una bonorum fides est, sic et spiritus unus: malorum vero spiritus multiplex, et voluntas ambigua.

Tandem ergo favore divinitatis multis lacrymis implorato, dum utriusque personæ merita et prosequentia partes studia conferuntur, inventus est Petrus indignior adeo, ut ex ipsius comparatione alteri personæ irrogari gravis injuria videretur. Studia vero partium tanta dividebat imparitas, ut Petro nondum extra urbis mœnia quisquam favor, alterum infra urbem quidem pars potior elegisset, et extra urbem usque ad fines terræ tota jam fere Patrem confiteretur Ecclesia. Sumpta igitur ex Magni Leonis Papæ decreto sententia, ubi se partium vota diviserant, visus est illis jure canonico præferendus is, qui majoribus studiis juvabatur et meritis. Qua nimirum ratione cum in Papam Innocentium inspirante Domino convenissent, ipsi statim de obedientia tua,

et debita subjectione scripsisti: postulasti tamen ipsius honorari rescripto, et munus legationis habitæ confirmari. Visum est simoniacum, favorem tuum redimere legationis officio: et cum ipse partes illas visitare sub eodem tempore decrevisset, nullus locus poterat sub ipsius præsentia restare legato. Neque enim legatus præsentis personæ, sed absentis explet obsequium. Jamque tantus ad Romanas aures malæ administrationis tuæ clamor ascenderat, ut esset de eo quod olim impetraveras pœnitentia major, quam ut modo restituereris affectus. Tulisti repulsam graviter, et mutilata potentiæ tuæ cornua doluisti. Atque inferioribus antea modo factus inferior, et velut in senectute reputatus inutilis, consueti beneficii finem, rapinæ ratus injuriam, temerariæ succensus es ultionis affectu. Quoniam dum repulsa ministrat iracundiæ causas: et innata dedignationem parit elatio; addidit ambitio cœcitatem, quæ quidem res cum otia nesciant, et a suis effectibus vacare non possint, contemptum jam susceptæ partis dedignatio fecit, indiscretionem cœcitas operata est, temerarios ausus iracundia præformavit. Spreto igitur eo quod recte susceperas, et indiscrete conversus ad aliud, temerarie prioribus contraria concepisti; factumque est quod in rebus sæpe contingit humanis, ut circa rem propensius affectatam, spem præcipitem desideria concepta firmarent. Misisti Legatum Romam, qui eidem quem jam devoveras Petro favorem tuum venalem, pro munere legationis offerret, et similem sibi ministrum domino fœderaret. Expletum est sine difficultate commercium; et dum te cœcitas indiscreta conducit, ministrum te schismatis addixisti, ut inutili privilegio donareris. Formata est tibi, sed inanis nova legatio, et quidquid ab Alpibus usque ad fines Occidentis interjacet, tuæ ditioni sed inefficaci

donatione subjectum est. Et ne excedenti ambitioni tuæ fortassis angustior prædictorum finium præscriptio videretur, adjectum est, ut ubicumque calcaret pes tuus, ibi esset legatio tua. Invenisti, Girarde, hominem de alieno munificum, sed si rei fructum diligenter attendas, dum tibi rescribuntur maxima, minima recepisti. Nihil enim tibi Petrus impendit, nisi quod nec ab ipso, nec ipsius potest nomine possideri. Implevit tamen aures tuas spatiositas circumscripta terrarum, et cupiditatem tuam rei qualitas æstimata solo statim gaudio satiavit. Sed ambitionem tuam dignissimus excepit eventus, dum munus inutile prima statim rerum experientia deprehendisti. Emissis igitur ex omni parte cursoribus, cœpisti Principes sollicitare finitimos, eos scilicet qui rei nondum cognita veritate, neutrius adhuc partis nomine nitebantur.

CAPUT VI.

De circumveniendo autem Rege Anglorum Henrico præcipue laborabas; et quia cauteriatam conscientiam habens, Principi Catholico et sapienti de suscipiendo Petro-Leonis manifeste suggerere non audebas, ut neutrum susciperet mirabili solertia suggerebas, ita tamen ut in Petrum tua aliquanto proclivior oratio videretur. Rem stare sub dubio, multos utriusque partis esse fautores, festinasse quosdam qui jam multa pœnitentia ducerentur: Petri-Leonis in civitate inexpugnabilem esse potentiam, præsertim qui munitionibus maximis, qui pecunia plurima, qui denique parentum multitudine maxima fulciretur. Asseverare multos ipsum non justitia, sed potius invidia reprobatum; eo quod perspicax ejus ingenium, et amplitudinem animi, et irrefragabilem potentiam reliqui vererentur: neminem tamen esse, qui posset

eum urbis privare dominio, penes quam caput Ecclesiæ semper fuisse, sed et denique reversurum fore nullus ambigeret. Ipsum, et eos qui cum ipso erant, sufficientes ex proprio, et omnes ad Apostolatum pertinentes civiles redditus obtinere: non oportere ipsum ad alienas inspicere facultates, nec ad invertendum quidlibet rei familiaris inopia compellendum. Si susciperet alterum, onerosum sibi, et suo regno fore, et quod Regi est etiam damno deterius, dedecus affuturum, si pars altera prævaleret. Nihil esse importabilius indigente Romano, sub cujus sis arbitrio constitutus. Dissimularet igitur, et rerum exitus potius exspectaret, quam sera præcipitem sententiam pœnitentia subsequatur. Utilius enim esse sine dispendio declinare pericula, quam cum gravi dispendio ipsis ultro periculis obviare.

Agnovit Rex sapiens latentem in sermone serpentis astutiam, et venenum sub melle reconditum, quia scilicet ista non bona fide consulentis animo mandaveras, sed fallentis, ut Domino Papa prius qualibet arte fraudulenter excluso, ad loquendum pro Petro tibi commodior aditus appareret. Facilius enim ad favendum parti nostræ vacuos vendicamus affectus, quam favore jam partis alterius occupatos. Ille vero non dissimulandum, sed laborantis Ecclesiæ necessitatibus adjutor ultroneus credidit occurrendum, ne persuasione tua probaretur acephalus; et ab uberibus matris suæ fieret alienus. Rex maximus, cujus ad justitiam omnes fere Principes invitantur exemplo, cujus in pauperes munificentiam, liberalitatem in omnes, cuncti Reges mirari possunt potius, quam velint aut valeant imitari. Cujus sapientiam regnum ipsius et Ducatus etsi late spaciosa non continent, sed ad circumjectas refunditur undique potestates.

Cum autem, Girarde, Regibus Hispanorum, Britannorumque Principibus eadem suggerendo mandasses, et speratos fructus concinnata tibi mendacia non referrent, cœpisti dementiore vesania infra domesticos parietes debacchari. Pictaviensem Comitem nactus erroris socium, et schismatis adjutorem; quem etiam Pictaviensis Episcopi Catholici senis negata depositio, et contra sacratissimos canones non exaudita petitio, indignatum pariter a Catholica repulit unitate.

Hæc sunt, Girarde, quæ pro Ecclesia et adversus Ecclesiam sub initio tempestatis egisti, quæ licet rudi forsitan et inculto sermone narraverim, solam saltem sequi potui veritatem. Nihil enim scripsi, quod non vel ipse cognoverim, vel auctore probabili non haberem, vel quod saltem fama publica non affirmet, ut proinde non minus aliis probabile videatur, cum ipsi tot testimonia suffragentur ad fidem. Jam vero si recte propositæ partitionis membra recolligo, sola mihi propositi mei superest pars extrema, in qua quibus Ecclesiam Dei molestiis vexare quidem et persequi non desistis, ex parte dicendum est. Si quis enim vellet cuncta narrare, nec ad dicendum lingua sufficeret, nec calamus ad scribendum.

CAPUT VII.

Suscepta igitur Petri-Leonis Epistola, cœpisti per fines Aquitaniæ discurrendo pristinæ prædicationi tuæ prædicare contraria, Petrum scilicet Leonis Anacleti nomine, sed verius Antichristi, Papam esse; cujus quidem Apostolatum sedes principalis exciperet, et totius civitatis obedientia confirmaret. Alterum civitate pulsum cum paucis fautoribus sine certa

sede vagantem, avertentem populos, et ab Ecclesia separantem; quem nec Cathedra Lateranensis agnosceret; nec ei obsequium Romana civitas exhiberet. Quem Papam credere similis amentia videbatur, ut si quis carentem regno Regem dicere, destitutum principatu Principem appellare voluerit. Quasi modo, Girarde, justitiæ loca præjudicent, et jus dignitatis perimat illius civitatis egressus, et velut solius populi Romani favor omnibus fere populis debeat anteferri. Numquid enim ipse Laterani residens, in illa Beati Johannis Ecclesia principali Christianissimum Principem Lotharium consecravit in Regem? Numquid ipsum et Imperii nomine, et Imperiali diademate renitentem solemnitate debita decoravit? Numquid ipsum pars magna nobilium, et totius populi conscientia comitatur? Numquid eidem urbis habitatio, et ingressus pro arbitrio patens est et egressus? Quibus profecto si careret omnino, nullo tamen eorum posset justitiæ derogari. Sed dum te latens odium stimulat ad vindictam, linguam mendacio non negabas, ut verba veneno mendacii toxicata, infidelitatis vulnere simplicium pectora sauciarent. Circa quod dum unicum tibi propositum, unicus urguendi labor, unica laboris perseverantia constat, torrentes impetus tuos prævertit modicum vis divina; primumque de inefficacia speratæ potestatis argumentum accessit, in ligationem versa legatio. Captus es, et mensibus aliquot reclusus in carcere, donec quos gratia prædestinaverat, plena veritatis agnitio confirmasset, et qui prius de rescripta tibi legatione speraverant, de ligatione postea desperarent. Reserato autem carcere processisti quasi pardus e cavea, cujus rabie carcere diutius et catenis inhibita, si forte liber evaserit, insurgit audacior, nec eum ulla potest sanguinis effusio satiare. Æstimabas adhuc auctoritate

tua totum posse præverti, quod Ecclesia sancta dictaverat, et penes te rerum pondera et momenta constare. In quo nescio tuamne magis cœcitatem vel arrogantiam mirer. Quia quæ arrogantia major, quam hominem pene solum adversus illud insurgere, quod divina providentia confirmavit, quod omnis religio confirmavit, quod omnium Regnorum favor confirmavit, quod et ipse quantum sua interest, confirmavit? Quæ major cœcitas, quam ubi nullum Dei præcedit, exile hominis succedit auxilium, contra universitatem sperare victoriam? Non potes negare, quin falsi crimen et inconstantiæ simul incurreris, levissime transfuga, modo harum, modo illarum partium malefidus assertor, cujus in singulis operibus duplices vias, duplex signat intuitus, et affectus mentis ancipites, ambiguus manifestat aspectus. Sicut enim corporales oculos tuos innaturalis quædam distorsit enormitas, ut ad idem contuendum mirabili nequeant discordia convenire, sic et mentis oculi dissident, ratio scilicet et affectus.

Pictaviensis ac Lemovicensis Ecclesiæ, Comitis viribus abutendo, Catholicos ejecisti Pontifices, alios extraordinarie superponens; quorum alterum minus vita probabilem, et nullarum hominem litterarum, et in vulgari etiam sermone fere prorsus elinguem, Romana Ecclesia ab ejusdem Pictaviensis Ecclesiæ regimine reprobatum, olim canonica decisione removerat. Ille tamen nunc auctoritate sua jura patris superstitis usurpare non renuit, quamvis ipsi obligatus filias obedientiæ vinculo teneretur, et licet sese totum manibus ejus, fide etiam corporaliter præstita, dedicasset. Alter vero nec sæculari præditus, nec scientia litterarum, famosus apud omnes adulter, singulis fere noctibus a dæmonio rapitur, primumque de strato provolutus in terram, horrendum cla-

mans per totam diem, domum dormiens etiam dicitur evagari: neve sit circa eorum qualitatem diutius immorandum, primis ordinibus, nedum sacerdotio, nedum etiam Episcopali officio convincuntur indigni. Sed neque tu, nisi tibi consimiles, poteras æstimare condignos, nec dissimilia tibi capitique tuo Petro membra formare. Semper enim proprium quælibet opera confitentur artificem, et in eis voluntatis eorum vel scientiæ velut imago quædam reperitur expressa. Quid autem celeberrima Monasteria sanctis Abbatibus expulsis desolata commemorem; et subrogatos ad ejusdem sollicitudinis onera precio vel gratia juniores? Quibus administrantibus tanto jam cœpere monasteria laborare defectu, ut in iis quæ singulari nuper religione pollebant, nulla jam fere virtutis aut regulæ vestigia restent. Illis enim quorum eatenus ardentes monasticus ordo frænabat affectus, traditæ dispensationis occasio licentiam comparat effluendi. Nihilque ad periculum religionis efficacius est, quam irreligiosum sustinere Pastorem.

Hic autem te, Girarde, convenio, et veteri de Apostolatu paulisper seposita quæstione, quasi tibi Petri munere jus legationis accedere potuisset; in his operibus ordinem requiro canonicum. Spoliatos rebus, sedibus suis violenter expulsos inconventos, incommonitos, absentes quoque, nullo tecum Episcopo residente, damnasti. Sed ut hæc etiam ponamus ordine processisse canonico, in aliorum superpositionibus regularem disciplinam, formamque rationis exposco. In illorum enim qualibuscumque promotionibus nec justitiam, nec umbram justitiæ dinosceris attendisse.

Blanditur elatis auribus tuis fortasse tantæ rememoratio potestatis, qui hæc pro tua potuisti prævertere voluntate. In quo ne nimiam capias voluptatem,

quantum tibi partique tuæ profueris consequenter attende. Tertia pars Pictaviensis Episcopatus quem posuisti non agnoscit Episcopum, eique totus fere Nobilium numerus respuit obedire, adeoque omni conscientia reprobatus abjicitur, ut et frater ejus naturalis excommunicatum ex hoc ipso judicet, nec ulla ei communione jungatur. Catholicus vero usque ad portas civitatis plena potestate dominatur Episcopus, et eum majores personæ pontificalis Ecclesiæ comitantur, an formam beati Petri relictis omnibus exulem prosequuti. Alii fornices civitatis inhabitant, qui super ollas carnium recumbentes, gentis et loci potius quam animæ perditione terrentur. At Lemovicensis ab urbe sua stadio uno vix interjacente remotus, castrum sancti Martialis pro foribus urbis inhabitat; unde is qui sedem sibi cathedræ Pontificalis usurpat, singulis diebus audire possit campanas in sua excommunicatione sonantes. Te quoque Pastorem suum Engolismensis patria minime profitetur ubique, sed et ibi multi catholicæ partis nomine gloriantur.

Distuli circa extremitates orationis hujus de usurpatione Burdegalensis Archiepiscopatus apponere, ut ex hoc illa effrænis ambitio tua irrefragabili liqueat argumento. Engolismensi Ecclesiæ copulatus spirituali connubio tenebaris, impudens tamen dominandi libido contemplatione prænominatæ dignitatis incanduit; et dum descendentium jam rerum tuarum detrimenta non sustines, ad compensationem frustratæ legationis in amplexum quasi ditioris adulteræ prorupisti; filiæ sponsus, incestu matrem nefario polluere non abhorres, et monstrum biceps, infaustum sæculo prodigium non renuis apparere. Non expetitio populi, non cleri præcessit electio: sed etiam nunc excommunicatum reputans universitas

tibi, vel pars saltem maxima, refragatur, in partem catholicam multo desiderio suspirantes.

CAPUT VIII.

Age ergo, ut quasi ab initio summa omnium brevi complexione claudatur, quia ab eo quod exceperas recessisti, temeritatis vel inconstantiæ te condemnat. Aut enim huic parti temerarius consensus adjunctus est, aut certe nimis inconstanter ademptus. Quod autem favorem tuum ab hac parte prima tulit negatio, nullum cœcæ ambitionis est firmius argumentum. At vero idipsum palliari fortassis aliquo conquisitæ falsitatis velamine potuisset, sed facta in alteram partem non nisi eadem legatione impetrata favoris translatio, omnem tibi copiam defensionis ademit. Ad summam, jam te non illicite solum, sed et impudenter operari convincit, Archiepiscopi et Episcopi in eamdem personam facta confusio.

His itaque de te toti mundo patentibus, qua saltem imagine justitiæ tibi nomen usurpas, dum publice suadere putas, te, etsi non ex scientia, zelo tamen taliter operari? Numquid hæc opera, te non imprudenter ex simplicitate delinquere, sed impudenter ex arrogantia contemnere manifestant? *Impius* enim *cum venerit in profundum, contemnit.* Saltem deficientia naturæ lege membra considera, quia tempus est finem dare nequitiæ, et inutiles mundo reliquias exspectanti Deo gratum munus offerre. Declines ad infima vultus attolle, et enormes oculi tui ad partem dirigantur oppositam, ut videas quam bonum et jocundum est in unum habitare. Sed quoniam nocturnus bubo, lucem diurnam non sustines intueri, cœcus aures arrige, nisi et easdem insurdave-

rit obstinatio cordis. Audi ergo cum quibus habites, et quorum consortia respuas. Infidelis universitas illa quam sequeris, familia Petri-Leonis est, nondum fermento Judaïcæ corruptionis penitus expiata. Et Tyrannus ille, quem altrix tyrannorum Sicilia sustinet, Dionysii successor, aulæ ipsius heres, et ominis, emptus inani Regis nomine; Dux quidem antea, nunc vero nec Dux ipse nec aliud, quia nomen alienum, quod contra justitiam Tyrannus usurpat, in ipso nullatenus obtinere certo jure firmatur; huic numero solus Pictaviensis Comes adjicitur, voluptatum vir, animalis homo, arcana spiritualium non attingens, ob repulsam petitionis illicitæ mancipatus errori. Sub qua paucitate si quis sanctam dixerit Ecclesiam contineri, certe non derogata solum Christi videtur hereditas, sed penitus abrogata. Ubi ergo David sancte, ubi tua vetus illa promissio? ubi Pauli? ubi sanctorum testimonia Scripturarum? Ille enim Rex Sanctus ex persona Patris ad Filium: *Postula*, inquit, *a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Et alibi: *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Et Paulus: *Deus*, inquit, *exaltavit eum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur.* Dices fortassis, jam impleta quæ dicunt, nec obstare hæc quominus potestatis hujus immineat defectus. Sed regni ejus non erit finis: regit enim in virga ferrea. Partem vero nostram, si tamen hæc tantilla cogat exceptio, ut nomine partis universitas fere tota vocetur, omnis Imperator, omnis Rex, omnis Princeps, omnis homo denique profitetur, quicumque Christiani nominis insignitur honore. Sed ego, si qua fides est, favorem Principum populique, quos adhuc sæcularis tenet affectio compeditos, in tam divino negotio

negligenter attendo. Horum in hoc mihi consensus præcipuus est; horum me movet, motum trahit, tractum tenet auctoritas, quibus datum est nosse mysterium regni Dei, quorum in cœlis esse jam ex parte conversatio perhibetur. Quales revera sunt qui Carthusiæ perpetuas nives inhabitant, et qui a Cisterciensi, vel Cluniacensi Monasterio profluentes lucis suæ radios undique diffuderunt. Hi enim a manibus suis et animo, saniore consilio terrea removentes, aspera veste, cibo cum raro, tum arido, vigiliis, multisque laboribus corpus macerant, ad eam tantum retributionem totis animi viribus anhelantes, quam diligentibus se gratiam repromisit. Horum sancta conversatio, sermo sapiens, in divinis discretio perspicax, quam denique nulla nubes terrenæ densitatis obfuscat. Patitur quidem eos Deus molestiis affici, ut tamquam aurum in fornace probentur, sed ultra eorum non excrescit tentatio facultatem. Licet igitur eos adhuc ex parte remoretur in terris, ut promissas augeant desideria protracta coronas, a divinis tamen consiliis non creduntur exclusi: *Angeli enim eorum semper vident faciem Patris:* et eos familiari sancti Spiritus visitatione faciunt illustrari. Neque enim etiam in præsenti, sua deserit retributio sustinentes: juxta illud: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Vado* enim, inquit, *et venio ad vos, et gaudebit cor vestrum.* Quid igitur? fraudabitur operis sui fructu pars electa quam dico, et promissionem suam divinitas immutabit? Absit. *Juravit* enim *Dominus, et non pœnitebit eum.* Horum ergo mentes promissus Spiritus sanctus inhabitat, quas congrua sibi templa paravit, et eas necessario plena cognitione veritatis illustrat. Quoniam si Spiritus Deus est: Deus autem veritas, profecto sub præ-

sentia Spiritus non restat ignorantia veritatis. Quid plura? Jam ne sermo noster metas debitæ brevitatis excedat, pauca de pluribus, minora de maximis dixisse sufficiat.

IV. EPISTOLÆ.

1. *Præfatio ad Ægidium Archidiac. Rothom.*

Epistolas, quæ aliquando diversis a me sunt destinatæ personis, in libellum redigi, tuoque desiderio postulas exhiberi. Acquievissem libentius, si scirem quod eas esses quasi furtivum aliquid habiturus, quia in lucem prodire propriæ imperfectionis conscientia non præsumunt. Timeo enim si publicis exponentur aspectibus, ne lectorem jejunæ macies orationis offendat, mihique ad jactantiam reputetur editio, quam tamen non fastus ostentationis elicuit, sed instantia tuæ caritatis extorsit. Decreveram eas futuris non reservare temporibus, sed omni protinus abdicare memoria, quia non satis de cultu sermonis, vel sententiarum peritia confidebam. Mallem siquidem eas tenebris damnasse perennibus, quam ridendi materiam invidiæ præstitisse, quæ eo securius aliena subsannat, quia sua simili periculo non exponit. Non enim cæteri nos vel nostra tuis oculis intuentur, a quo si quid in nobis bonum est, magnificatur attentius, et imperfectioni venia facilis indulgetur. Animi siquidem eorum, quos odii sibi vel invidiæ vindicavit affectio, sicut benignitatem indulgentiæ nesciunt, sic rationis judicium non attingunt, sed omnia metiuntur affectibus, nihil sua meritorum æstimatione taxantes. Ego itaque voluntati tuæ deesse non audeo, ne forte verecundiam negligentiam putes, quia sicut alternis amicitia convalescit obsequiis, sic alterutrius incuria procedente laxatur. Summo itaque studio congregavi quas potui, quia nulla earum apud me exemplaria residebant, sed ab his, a quibus aliquo

casu servatæ fuerant, velut emendicatas accepi. Et antiquiores quidem, studia scilicet melioris ætatis, elapsæ sunt, quæ recentius exercitia scholaria redolebant, quia ibi et sententiæ promptiore tractabantur ingenio, et usus accurati sermonis copiam ministrabat. Tunc enim læta festivo quodam schemate decurrebat oratio, cum ingenio doctrina concurrens rerum inventiones commoda fœcundi sermonis elocutione formabat. Quæ vero novissime scripta sunt, quendam trahunt de præsenti senectute defectum, quia provectior ætas memoria jam segniore torpescit, et occupationes necessaria studiis spatia non indulgent: quoniam instantia Pontificalis officii non tam figuris elocutionum, quam saluti prospicit animarum. Veruntamen si quandoque me vel reverentia personæ, vel negotii quantitas protrahit ad scribendum, omnia mihi cum difficultate proveniunt, cum et hebetiorem senectus reddat, et insolentia tardiorem. Mitto itaque quod postulanti negare non audeo, sciasque non exhiberi judici, sed amico, apud quem gratia potius patrocinetur ad veniam, quam exactior peritia reducat ad formam.

2. *Ad Dominum Papam Celestinum.*

Sustulit virum gloriosæ memoriæ Innocentium Papam necessitas humanæ conditionis e medio: cujus ecclesia Dei liberata triumphis, cujus adornata virtutibus, cujus denique magnificentia fuerat sublimata, qui eam humilibus placabilem, tyrannis autem formidabilem reddens, quanto plus pravitati terroris intulerat, tanto religioni plus exhibuit caritatis. Quod sane tam regularis disciplinæ, quam monasticæ religionis provectus ostendit: cum civitates et castella passim pro sæcularibus regulares clericos

habeant, et deserta quæque plus hodie monachorum quam ferarum quondam habuerunt bestiarum. In morte igitur ejus spem sibi redivivam posuerat desperata malignitas, ut tunc ad nefarios libere conatus erumperet et statum triumphantis in omnibus ecclesiæ conculcaret. At vero in promotione vestra quasi quodam statim languore spes maligna contabuit, bonis orta est ex timore securitas, et exultationes Dei in gutture omnium sonuerunt. Non enim ambigunt quin vestræ sanctitatis studio propagetur, quod pio ejus labore plantatum est. Quis enim audeat sperare dissimilia vel minora de vobis quem adeo et prioris vitæ rudimenta commendant et modernæ promotionis auspicia divina probant voluntate prælatum. Sapientia enim, cujus est a fine usque ad finem fortiter ac suaviter bene cuncta disponere, fortiter hoc de vobis, quia efficaciter, suaviter quia concorditer adimplevit. Sed nec soli sibi Romana ecclesia tanti operis laudem arroget, nec invidiose adversum nos de tanta concordia glorietur, quoniam in hoc ipsum a multo jam tempore minorum ecclesiarum vota convenerant nec alium adeo magnificentiæ tanti prædecessoris idoneum Roma nobis offerre poterat successorem. Fecit sane tantam excellens virtutis vestræ prærogativa concordiam: contra quam vel nullus erat vel nullus ausus est adversarius apparere. Verum est etiam electores vestros longe antea inde a nobis quasi quoddam accepisse mandatum: cujus fines excedere non habebant, quoniam quod multo ante advenarum præsagio præsumptum erat, incolarum voce completum est ipsorumque consensum nostra desideria creaverunt. Loquar ergo ad Dominum meum, quum sim pulvis et cinis. Loquar filius devotus unico patri meo. Quanto, Domine, pluribus desideriis expetitus es, quanto faciliore concordia

præelectus, quanto majore omnium exultatione susceptus, tanto te Deo et hominibus intelligis obligatum. Gratiam divinæ dignationi, gratiam humanæ benevolentiæ debes. Insistendum tibi est ut dignus sit expectatione proventus, ut Deo scilicet reverentiam, hominibus exhibeas pietatem. Inter alios vero obsecro ne serenitatem tuam mihi majestas tantæ dignitatis obducat. Sed vivat mihi apud te semper pristinæ benignitatis affectus, teque prædecessori tuo in gratia mihi et benevolentia sentiam successisse. Venissem autem ad vos nisi circa confirmandam mihi recentem novi principis gratiam et resarciendas ecclesiæ et domus nostræ ruinas et curanda germanorum funera gravius occuparer. Quibus causis nec tempus adhuc nec alacritatem habui nec expensas. Veniam autem Deo volente quantocius ut oculis meis vultus vestri serenitas illucescat, et ariditatem meam quasi uberior de proximo novæ benedictionis riget ubertas: quia modicum id quod sum totus sum sanctitatis vestræ, sanctæque Romanæ ecclesiæ devotissimus servus.

3. *Ad eundem.*

Pro Sagiensi ecclesia tota mente pedibus vestræ sanctitatis advolor, confidens de vobis in Domino, quia bonum quod in illa per antecessores vestros Deo auctore fundatum est vestro tempore non solvetur. Solvi autem necesse est, si inexperto regulam regula conservanda mandatur, si imperito agricolæ credatur nova plantatio, si denique cuiquam alicujus rei magisterium credatur, cujus ille non attigit disciplinam. Perniciose siquidem vinea propaganda committitur ei, cujus est studium potius extirpare. Unde etiam si eum, de quo agitur, Girardum aliqua elec-

tionis forma defenderet, quia pro ecclesiis libertas electionum introducta est, liquet quia quod earum favore comparatum est, hoc ad earum læsionem retorqueri non debet. Retorquebitur autem, si electionis favor usque in detrimentum principalis causæ processerit, si non quis vel ad quid sed qualiter electus sit attendatur, nec finis aut utilitas operis sed sola negotii series exquiratur. At vero quod hic electio nulla præcesserit, et verum est et omnis ecclesia contestatur, præter paucos quos ad optandam sæcularem personam amor et desiderium sæcularitatis adduxit. Quorum primus adolescens et frater; secundus ex familiari neophytus; tertius nescio qua sanguinis cognatione conjunctus; quartus claustrali disciplinæ mancipatus a puero, imberbis adhuc et nihil sciens penitus nisi mundum. Quos ille per furtivas literas, studio fratris, persuasionibus et promissis illectos ad hoc schisma pertraxit, ratus secure quidlibet adversus paupertatem ecclesiæ præsumendum. Sperabat enim adversus reliquos omnia posse trium aut quatuor hujusmodi testium depositione probari, quoniam negantis factum per rerum naturam nulla est probatio, actori autem onus probationis incumbit. Sic opus illud primo quidem de ambitione conceptum est, exinde vero temeraria levitate promotum, ut ad extremum posset perjuriis consummari. Accessit etiam postmodum propter injuriam quam passus est ex incommoditate fiducia, ad quam tamen si eum inconsulta pertraxit ambitio, nec innocentibus imputandum est, nec in detrimentum ecclesiæ convertendum. Porro in auctores sceleris severitatis Apostolicæ vindicta procedat: personæ vero quæ læsa est, salva tamen indemnitate ecclesiæ, consulatur, ut reis pœna, læsis remedium, sua religioni justitia conservetur. Ceterum de eo quod

factum est, innocentiam suam multis comes excusat, adeo ut auctores ipsos, licet ipsius se putaverint gratiam promereri, ecclesiastico permiserit arbitrio puniendos. Neve adversus libertatem ecclesiæ laborare credatur, universam ecclesiæ dispositionem Archiepiscopi nostroque scilicet episcoporum consilio relaxavit. Ecce, Domine, in potestate tua omnia sunt posita: nec est qui tuæ possit resistere voluntati: esto officii tui sedulus executor, ne personarum vel causæ merita confundantur. Ut reos scilicet castigatio digna coerceat, læsos pia miseratio consoletur: regularis autem conventus accipiat patrem regulari institutione formatum, ne statuæ aureæ caput æneum tuo, quod absit, opificio dicatur affixum: et ubi ex privilegio prædecessorum tuorum archidiaconos sæculares esse non licet, sententia tua creet episcopum sæcularem. Valeat in Christo sanctitas vestra!

4. *Ad Robertum Lincolniensem Episcopum.*

Literas vestræ dilectionis accepi, quas in tanta caritate complexus sum, quanta tanti viri gratiam decuit gratulatione complecti. Timueram sane ne memoriam mei apud vos diuturnitas temporis, vel distantia regionum, vel ipsa novissime vestra promotio delevisset, quoniam novæ dignitates veteres solent amicitias immutare. Creat enim cor novum et novos affectus novæ conscientia dignitatis: divitesque facti paupertatis amicos cum ipsa paupertate fastidiunt, ne quid penes eos de veteri videatur inopia resedisse. Solos autem venerantur et diligunt quos fortuna conducit, solisque gaudent sublimibus inhærere, ne majestas dignitatis inferiorum frequentia, vel humili mediocrium gravetur accessu. At vero

constantia vestra veterem amicum recenti memoria continens, absentem præsenti caritate complectitur, ipsumque spiritualibus oculis frequentius intuens, Episcopalis nunc fastigii divitias, gratiam et obsequium non minus liberaliter offert, quam mediocres olim ingenuæ primitias juventutis. Retinendos creditis, quos ad diligendum liberalis invitavit affectio, quos fidei veritas, non dolus cupiditatis illexit, qui fidi personæ comites, non fortunæ, omnes vobis compartientur eventus. Et ego quidem, quantum ad me spectat, quem ejusdem ordinis et similis, licet non tantæ dignitatis, gratia sublimavit, hanc in vobis virtutem longanimitatis admiror, quæ scilicet ibi tanto admirabilior est, ubi minoribus eundem exhibetis affectum. Vivebat autem vobis nihilominus apud me vetus, sed non inveterata dilectio, quæ licet ab adolescentia prima processerit, nullam adhuc potuit incurrere senectutem, sed me ad omnia quæ vobis placita forent paratum tota devotione servabat. Quia igitur ociosus amor esse non debet, sed alternis invicem pascitur, et revirescit obsequiis, id interim a dilectione vestra petendum censui, ut ducem nostrum, cui jus successionis hæreditariæ regni vestri gubernacula debet, quantum honestate vestra poteritis, diligatis, mihique, cum occasio suggesserit, quod placuerit injungatis, ut mutuæ dilectionis affectus mutua semper operis exhibitione concrescat. Vale.

5. *Ad Sugerium Abbatem S. Dionysii.*

Venerabili et dilecto patri et domino Sugerio, Dei gratia Abbati Sancti Dionysii, Arnulfus Lexoviensis ecclesiæ humilis minister, Salutem.

Apud Dominam Imperatricem et filium ejus Ducem Normanniæ, de negotio de quo vobiscum tractavi,

quantum ad Normanniam pertinet, bonam spem Domino volente concepi, nunciosque statim ad Comitem Andegavensem, pro altero verbo quod ad partem illam spectat, cum festinatione miserunt, supplicantes ut ipse verbum illud ad pacem temperet, et illi quoque verbo quod ad Normanniam pertinet, benignum consilium pariter commodet et assensum. Consilio quoque vestro plurimum acquiescere decernentes, benevolentiæ vestræ non ingratos se fore multa hilaritate promittunt. Agat itaque vestra sanctitas quod nobis tam sancte benigneque promisit, diemque in quem regia responsa postulationibus Anglorum vestro studio dilata fuerunt, per cursorem istum literis familiaribus non gravemini indicare.

6. *Ad Dominum Papam Eugenium.*

Petitionem Bajocensis Ecclesiæ de revocatione Episcopi sui debita devotione prosequimur, preces nostras precibus eorum apud misericordiam vestram humiliter adjungentes. Supplicat cum eis quisquis antiqua Ecclesiæ detrimenta cognovit, quam ille de pulvere paupertatis et dejectionis erectam, de paupere divitem, de contemptibili venerabilem, de ignobili reddidit gloriosam. In quibus sane perficiendis quisquis laborem ejus industriamque perspexerit, probabit cum in executione prudentiam, tum magnificentiam in effectu. Testatur hoc ædificiorum reparatio, revocatio possessionum, et antiquæ restauratio dignitatis, quam in conculcationem dederat malignitas et potentia perversorum. Exultabunt igitur illi, si migraverit is, quo debellante dejecti sunt, jamque manus avidas reparant ad rapinam, qui licentius consueverant in jura Ecclesiæ malignari. Quia igitur

filii et fideles Ecclesiæ imminentia jam sibi detrimenta præsentiunt, ad discretionis et misericordiæ vestræ subsidium singulare concurrunt, ut ad conservanda quæ collegit suum Episcopum eis remittatis. Homo enim consilii et fortitudinis est, potens in opere et sermone, in regalibus consiliis et negotiis Ecclesiasticis acceptus et efficax, plurimumque tam ipsi Archiepiscopo, quam omnibus provincialibus Episcopis necessarius ad reprimendam et repellendam ab Ecclesia Dei insolentiam malignorum. Desideratur autem regressus ejus ab his qui in terra prudentiores sunt, et si quis adversus eum furtiva malignitate submurmurat, non tam caritate, quam invidia, nec tantum delictis ejus quantum suspecta magnificentia commovetur. Dominus personam vestram Ecclesiæ suæ per tempora multa conservet incolumem.

7. *Ad eundem.*

Literas jamdudum optatas vestræ timidus offero majestati, quia diu est quod coram vestra non apparui Sanctitate. Venturus autem fueram revera jam tertio, nisi me fallax invidi casus importunitas impedisset, quæ tribus annis jam hoc propositum meum ad contrarios rapuit violenter eventus. Primo siquidem per bella Francorum, deinde per insperatum Comitis Andegavensis interitum, novissime per Regiam quæ in filium ejus ira recruduit, ad quam non solum civitatis nostræ, sed ipsius etiam Ecclesiæ limina tremuerunt. Verum nunc respirandi fiduciam præstant tum partis nostræ justitia, tum Ducis nostri virtus illustrior, quæ gladios hostium quandoque perterruit, et ad pacis inclinavit affectum. Cum igitur, Deo volente, sublata fuerit, vel dilata turbatio, nihil

poterit incolumem retinere, quin me quam citius pedibus vestræ Sanctitatis advolvam, gratissime suscepturus omnia, quibus moram meam quantumcumque excusabilis appareat, vestra paternitas increpabit. Neque enim apud eum audeo desperare de venia, cujus benignitas manifestæ excusationis impotentiam non excludit. Iterum autem ex veteri procedit audacia, quod venientem ad vos venerabilem et dilectum fratrem nostrum Episcopum Constantinum precibus commendare præsumo, quamvis pro eo plurimum facere videatur ad gratiam, quod inter initia novi Episcopatus nihil faciendum potius reputavit, quam Romani Pontificis gratiam quærere, seque totum familiaritati Romanæ Ecclesiæ eo devotius, quo velocius mancipare.

8. *Ad Danielem priorem S. Barbaræ.*

Ad gerendam sollicitudinem domus tuæ non pro tua te, frater, virtute vocavimus, sed pro divinæ fiducia bonitatis, quæ his qui ad regimen animarum pure vocantur et humiliter obedire consentiunt, uberiorem largiri gratiam consuevit. Sicut autem non debebas te non vocatus ingerere, ita vocatus recusare non debes, quia non minus delictum tumor inobedientiæ, quam zelus ambitionis importat. Quod si non ex tumore, sed ex humilitate potius, sicut putas, et timore desistis, pusillanimitatem hæc mihi sapit humilitas, quæ tanto studiosius devitanda est, quanto magis periculo desperationis accedit. Sed et si qua unquam ratione ab hac vocatione fueras absolvendus, non debuisti apud fratres tuos, nec apud auctoritatem nostram literis excusari, nec propriæ voluntati, cui te renunciasse cognoscis, morem gerere, sed personam tuam, quæ quodammodo magis nostra quam tua est,

pedibus nostris humilis et devotus offerre, fratrumque tuorum trahi desideriis, et mandatis Pontificalibus inclinari. Porro mora tua rerum temporalium, et, quod gravius est, periculum continet animarum, quia incustoditas oves luporum incursibus esse constat expositas, detrimentumque omne ab eo requirendum est, qui debitam custodiam detrectat aliquibus occasionibus adhibere. Veni igitur, quoniam cum ipso onere gratia tibi divina concrescet, et nos personam tuam, et domum ipsam solita, vel majore etiam caritate fovebimus. Et si qua forte intrinsecus difficultas emerserit, ego in manu forti ante faciem tuam protinus omnia complanabo. Veni, inquam, et infra octavam diem post acceptionem præsentium literarum iter aggredere, nullasque inveniendo causas dilationis admittas, nisi quas necessitas invincibilis, vel enormis damni evitatio suggesserit admittendas. Quod si non feceris, exinde te, tanquam inobedientem, Episcopali auctoritate ab omnium Ecclesiarum introitu summovemus.

9. *Ad Arnaldum Bonævallensem Abbatem.*

Venerabilis frater et amicus noster Philippus Abbas infirmitatem vestram, cum magna nobis amaritudine nunciavit, affectum animi lacrymarum testimonio prosecutus. Quod verbum primo statim auditu tanto nobis acerbius extitit, quanto proxime de vestra fueramus præsentia gratulati. Cœperunt igitur occurrere mihi quæ de vestra dilectione jocunda provenerant, et si quid simile in futurum sperabatur, semperque discurrens inter utrumque consideratio vim mœroris augebat. Occurrebat siquidem mihi caritatis vestræ sanctum illud dulceque colloquium, quo prævaletis auditorum mentes rerum erudire solertia,

et aures jocundi sermonis suavitate mulcere. Recordabar quantam vobis scribendi gratiam bonitas divina contulerat, in qua nescio an magis quis sententiarum fructum, an dicendi peritiam debeat admirari. Hæc enim apud vos tanta sibi invicem paritate respondent, ut neque rerum majestas verborum coartari videatur angustiis, nec sermonis dignitas aliqua sententiarum excellentia prægravari, in his sane quæ vel intellectus concipere, vel humana facundia sufficit explanare. Palam est de illius hoc processisse doctrina, cujus spiritus familiarium mentes et linguas tam notitia veritatis, quam affluentia sermonis illustrat. Denique dolor in miserationem conversus est, dum incommoda vestra laboresque contemplor, quibus innocentiam vestram sollicitudo domestica, et persecutoris immanitas incessanter affligunt. Sed et de proximo sperata tranquillitas, quasi de manibus videbatur erepta, ut omnem vobis de præsenti crederetur fortuna requiem invidisse. Potiorem tamen requiem, sicut præsumitur, vobis resolutio contulisset, quia regem in decore suo viderent oculi vestri, ut adimpleret vos lætitia cum vultu suo, quem propter se tot ad præsens tribulationibus passus est infestari. Nobis autem jocundum est vestra vel ad modicum tempus frui præsentia, vestro recreari colloquio, vestro consilio relevari, quoniam vestra si dilata est vobis retributio, non aufertur, sed reposita vobis est in tuto corona justitiæ, depositumque fidele quod suum est, suo tempore qui commisit, agnoscet. Dum igitur his super statu vestro considerationibus mea mens compassione debita raptaretur, subitus tanquam ex insperato morbus obrepsit, ut facile credi posset vestræ partem infirmitatis in me compassionis affectio transfudisse. Hæc tamen est privata passione sublata compassio, sed utrique prospiciens animus duplici

cœpit statim incommodo laborare. Visitavit igitur utrumque misericors et miserator Dominus, et utrique ea ratione beneficium sanitatis indulsit, quia alter sine altero perfecte sanari minime potuisset. Vobis ergo servatus sum, vestra mihi nihilominus sapientia reservata, ut secundum legem Christi alter alterius onera invicem supportemus, et secundum exuberantem caritatem alter alterius se totum gaudeat utilitatibus impendisse.

10. *Ad Dominum Papam Alexandrum quum esset Cancellarius.*

Bandinum vestrum ad Regem usque perduxi, qui dignationi vestræ gratias agens, eum majori Procuratori domus suæ tradidit informandum, ut idem ei et necessaria provideret, et inter alios nobiles eum regalibus obsequiis familiarius adhiberet. Et ille quidem imperata diligenter exequutus est, sed etiam imperium quandoque eleganti præcurrit ingenio, promptus ad omnia, quibus debet ingenui adolescentis industria collaudari. Sive igitur aucupationi, seu venationi, quibus studiis Rex multum insistit, seu rebus bellicis intenderetur, regios decursus indefessa celeritate prosequebatur: cæterisque pigritantibus non solum regi, sed et omnibus qui cum ipso erant vigilanter assistebat, tanquam si uniuscujusque esset specialiter obsequio deputatus. Unde plurimam apud regem et apud omnes laudem et gratiam impensa sedulitate promeruit. At si de moribus ducitis inquirendum, Gallicanam perosus incontinentiam severitatis Italicæ modestiam conservavit, vestræ memor per omnia disciplinæ. Non eum reddidit sermo petulans, vel effusus infestum, non regales deliciæ fortioris adolescentiæ robur emollierunt, non

opinionem ejus aliqua respersit infamia, sed testis conscientiæ pudor ad omnem aspectum et omne alloquium faciem ejus casto laudabilis verecundiæ rubore suffundit. Atque hæc mihi quandoque ad Curiam redeunti per plerosque comperta sunt, sed gratius habui quod hæc et alia de ipsius ore Regis accepi. Adjunxit enim, nullum inter tot nobiles tantæ industriæ, tamque bonæ indolis puerum se habere, magisque ipsum in agnoscenda domus Regiæ disciplina parvo tempore profecisse, quam alii triennio profecissent. Compertum se habere puerum nobilis esse prosapiæ, cujus ingenuos mores ultro tam prudentia quam benignitas innata formaret. Placere sibi si apud eum aliquandiu moraretur, vestro tamen remittendum arbitrio, quam primum æstivalis intemperantia præterisset. Existimabitis fortassis quæ scribo fallaces esse blandicias, sed nec sapientem fallere tutum est, nec mendacio convenit labia pollui sacerdotis. Vale.

11. *Ad G. Monialem.*

Quoties literas tuæ devotionis accipio, causam mihi mœroris afferunt, et ad te semper amplius diligendam sinceræ flammam caritatis accendunt. Et causam quidem mœroris afferunt, quoniam repræsentatur menti meæ frater ille meus, quem viventem speciali præ cæteris amore dilexi, cujus quanto vita mihi jocondior extitit, tanto defuncti lacrymosa recordatio plus doloris importat. Requiescebat in eo spiritus meus, quia ipsum vere me alterum poteram reputare, cui me et ipsum mihi non carnis identitas, licet ex eadem stirpe procederet, sed inseparabilis consentientium unitas asciverat animorum, semper alteri collibuit, quod alteri collibebat: nec tam suum alter,

quam alterius attendebat affectum, ut illius magis quam suo semper afficeretur incommodo, vel commodo lætaretur. Sublata est mihi animæ meæ eo decedente pars altera, et intra secretum pectoris inane quiddam præcordia sentiunt, quoniam spiritus integritas, potiore sui parte diminuta, languescit. At vero ad te sicut dictum est amplius diligendam flammam caritatis accendit, quod hujus te doloris sociam et vicariam fraternæ dilectionis agnosco. Inter te enim et ipsum, cum adhuc esse septennis, parentum interventu contracta fuere sponsalia, dum illi sibi de humano conjugio nova amicitiarum fœdera compromittunt, et grata proventuræ sobolis pignora contemplantur, et humanæ quidem cogitationes ad humanos libere disponuntur affectus, sed omnis est inanis affectio, cui non desideratos divina bonitas largitur effectus. Dum enim thalamus illi nuptialis, et conjugalis puellæ maritales destinantur amplexus, quam nobilitas generis, quam formæ gratia, quam denique virginalis commendabat integritas, divina sepulcrum illi depositio præparabat, ut de flore juventutis in pulverem, de gloria pulcritudinis et virtutis in putredinem solveretur. Felix tamen ille, si prior, immo quia prior celestem thalamum ingressus est, ut adeptam mansionem dilectæ suæ quandoque communicet, et ad agni nuptias pariter introducti, in conspectu ejus copulari valeatis, et in lætitia delectari. Felix tu, quæ corporales aliquando superasti lascivæ voluntatis illecebras, quam ab ejusdemmodi contactu zelus divinæ bonitatis conservavit intactam, ut munere tibi perpetuæ virginitatis indulto, agnum sequi quocunque ierit, et spirituale illud canticum possis cum assignatis milibus decantare. Non ergo tibi sublata sunt, sed immutata sponsalia, ut jam non homini, sed Deo spirituali copula conjungaris, cujus

desiderabilis te foveat et astringat amplexus, ut sit læva ejus sub capite tuo, et dextera ejus amplexetur te. Tui itaque studii erit apud hunc, ad quem toto corporis obsequio tota animæ devotione conversa es, devotis illum precibus commendare, quia zelum hujus habita pro illo supplicatio non offendet. Novit enim inter te et ipsum nihil carnalis intercessisse commercii, novit quia animus tuus in illa ætate nulla potuit concupiscentiæ macula deformari. Non est ergo quod invideat, non est quod te minus reddat acceptam, sed potius in te castum tam piæ dilectionis approbabit affectum: scio sane quam studiose id agas. Neque enim illius apud te potest præterisse memoria, quem defunctum non minus spirituali contemplaris intuitu, quam viventem corporali mirabaris aspectu. Porro quanto sincerior extitit, tanto diuturnior sanctæ dilectionis affectio permanebit. Amor enim quem corruptarum carnium generant passiones, corruptioni semper obnoxius, quanto difficilius in principio regitur, tanto postmodum facilius evanescit, adeo ut plerumque convertatur in odium, et voluptas amaritudine compensetur. Sed et imperfectus est, multisque declaratur indiciis ipsum ex vera caritate non nasci, quoniam tantominus singulos necesse est diligas, quanto hunc in plures partieris affectum. Sed et qui diligitur sine querela participem non admittit, quoniam sibi derogatum reputat, quicquid alii senserit impertitum. Sed incorruptibilis amor de ipsa sinceri spiritus veritate procedens, quanto fuerit dilatatus in plures, tanto majus de effusione contrahit incrementum, nec invidiam participatio generat, sed insolubilem sanctæ inter omnes concordiæ firmat amplexum. Hac igitur præsentem sponsum tuum caritate complectere, eumque non oculis corporis inquire, sed cordis, ut speciem ejus,

quoniam speciosus est, intueri, et suavitatem ejus possis, quoniam suavis est, degustare. Age etiam gratias incessanter, quoniam spiritui corpus servavit intactum, ut puritas invicem puritati respondeat, et tu ei perpetuum valeas integritatis offerre.

12. *Ad Dominum Papam Adrianum.*

Lator præsentium magister Simon miserabiles ad Apostolicam sedem portat injurias, quarum si ille locus Episcopum habuisset, audita a vobis prius esse debuerat vindicta, quam culpa. Audite eum, et injurias ejus immo vestras, severitate debita vindicate, ne hujusmodi adversus Apostolicam sedem insolescat audacia, præsertim cum in partibus illis in contemptum ejus pleraque jam incipiant germina pullulare. Occurrendum est igitur ne tractu temporis impunita malignitas convalescat, et vires iniquitati dissimulatio vestra, vel indulgentior gratia subministret. Jam enim nomen Apostolicum, quod hactenus in terra illa reverentiæ fuerat et terroris, in causam scandali versum est, et contemptus: nec appellantem provocatio liberat, sed in se potius vehementiam judicis exacerbat. Sensit hoc iste, qui propter appellationem reclusus in carcerem, ac miserabili tortus inedia, nec apud Tyrannum sine pecunia, nec apud Episcopum sine detrimento causæ potuit liberari. Et ego quidem pro causa ipsius obnoxius supplicare decreveram, sed apud misericordiam vestram facile causam declarata perorabit afflictio, et apud gratiam vestram intercessio nostra solito congaudebit effectu. Verum privatæ communis causa præponderat, quoniam de Ecclesiæ Dei libertate tractatur, nec jam spes restat ulla refugii, si in irritum deducta fuerit Apostolicæ protectionis auctoritas. Vindicate igitur,

ne forte, quod absit, procedat temeritas in exemplum, sed clarius audita correctio imperitiam doceat, et compescat audaciam.

13. *Ad Dominum Papam Adrianum.*

Pro causa ex mandato vestro dirimenda, quæ inter Abbatem Gemmeticanum, et monachos vertebatur, ad ipsum monasterium usque descendimus, ut nobis facilius de proximo facies Ecclesiæ et rerum veritas innotescere posset, ac sine sumptu et labore partium ipsa commodius controversia terminari. Cæterum in quamcunque partem debeat culpa conferri, certum est monasterium antiquum et nobile miserabiliter in spiritualibus et temporalibus defecisse, tantusque inter Abbatem et monachos omnes, exceptis tribus vel quatuor, zelus exarsit, ut in omne tempus de reformanda inter eos concordia desperetur. Tot enim in ipsum turpitudines publice protulerunt, ut necesse sit semper utramque partem de vera alterius gratia dubitare, quoniam quiescente fortasse litigio, odiosa probrorum memoria non quiescet. Proposuerunt siquidem adversus eum tria capitula, primum de turpi et innaturali incontinentia, secundum de simonia, tertium de dilapidatione, per quam non tantum ad inopiam, sed et ad extremam inediam se dicebant esse deductos. Ne vero confusionem faceret multitudo, si de tribus promiscue tractaretur, elegerunt primum illud de incontinentia capitulum: super quo septem accusatores monachos sacerdotes, et novem postmodum testes monachos itidem, sed diversorum ordinum produxerunt. Quorum diligentius explorato testimonio, cognovimus quinque singulos de singulis actibus singulare testimonium perhibere, nec aliquem eorum aliquid cum alio percepisse, sed

per se sigillatim unumquemque quod dixerat invenisse. Duorum autem qui in unius actus attestatione producti sunt, reperimus alterum laicum nullius ordinis, olim militem, ideoque ad exhibendam in presbyterum criminis probationem minus idoneum. Alter vero cum eo detracto solitarius remaneret, a nobis est minus sufficiens reputatus. Porro de duobus novissimis, qui similiter in unius, sed alterius actus testimonio processerunt, alter subdiaconus et adolescens inventus est, qui et ipse cum ob ulteriorem Abbatis familiaritatem suspectus esse fratribus incepisset, se nihil inhonestum de Abbate percepisse constantissime coram omnibus affirmavit. Unde pro minori ætate, et ordine, et inconstantia sermonis exclusus, socium nihilominus solitarium fecit. Licet illum quoque lascivius se gessisse et pars adversa diceret, et fama consentiens prædicaret. Quibus omnibus diligenter auditis et cognitis, visum est nobis ex sententia cuncta quæ processerant, non ad probationem, sed ad præsumptionem posse proficere, quia probationis privilegium solitaria testimonia non merentur. Quia igitur præsumptioni standum est, donec in contrarium probetur, Abbati est a nobis adjudicata purgatio, septima quidem manu, trium scilicet Abbatum, et trium monachorum sacerdotum notæ, opinionis, et nominis, quorum juramentis vulneratæ famæ necessarium posset remedium comparare. Appellatum est ergo a monachis ad octavas Pentecost. Apostoli postulati et traditi, partibusque mandatum, ne interim ab eis appellati nominis Apostolici reverentia læderetur.

14. *Ad Magistrum Petrum Helye.*

Si ab adolescente nostro laudabilis indoles et industria sperata defecit, certus sum a magistro nec doctrinam nec diligentiam defecisse. Debueram vobis, si se tractabilem præbuisset, sed pluris me constituit fluxa ejus et repugnans insolentia debitorem. Quanto enim in eo prosecutio vestra minus invenit obsequii, tanto plus laboris impendi, plus molestiarum oportuit sustineri. Est igitur voluntas nostra, quod redeat, ut tam a nobis, quam a patre fratribusque correptus, possit ad vos aliquando mutata in melius voluntate reverti.

15. *Ad Arnaldum Bonævallensem Abbatem.*

De adventu vestro nihil audieram priusquam vester ad me nuncius pervenisset. Neque enim videram dominum Ebroicensem, sed eadem die ipsum literas vestras Turonum, quo ad Regem veneramus accepi, literarumque brevitatem jocunda communis amici supplevit oratio. Gavisus sum de incolumitate vestra, gavisus de peregrinationis proventu, gavisus quod vestram prudentiam et honestatem honore debito Romana recognovit Ecclesia. Ad cumulum tamen exultationis accessit quod in proximo visitare nos dilectio vestra constituit, ut et mutuis exhilaremur aspectibus, et jocundis alternæ collocutionis affatibus delectemur. Communicabimus etenim quæ nos interim blanda vel aspera contigerunt, quoniam hæc inter amicos communicatio movet affectus, ut prospera quidem propter congratulationem dulciora faciat, et adversa per compatientiam leviora. Porto siquidem levius quod alius mecum pari compassione supportat, ipsamque inter amicos facit exuberare læti-

tiam, conscia participatio gaudiorum. Quanta igitur possum acceleratione festino, Lexoviumque ipso Kal. Mart. die, Domino volente, perveniam: ibidem per dies aliquot, vel in vicinia moraturus. Nuntium autem vestrum per aliquantulum temporis moleste detinui, quoniam incertum me de reditu meo gravia quæ inter Reges vertebantur negotia detinebant.

16. *Ad Radulfum de Diceto Londoniensem Archidiaconum.*

Audivi te causa studiorum Parisios advenisse, audivi et lætatus sum: lætatus equidem, ut ejus quem diligebam præsens me lætificaret aspectus, et jocunda collocutionis alternæ collatio delectaret. Optabam quoque, ut aliqua exhibendi tibi officii refulgeret occasio, cujus me dudum merita prævenerunt. Licet enim solum veritas amicitiæ requirat affectum, liberale tamen obsequium non excludit, sed eo potius illustratur, quoniam, ut ait sanctus ille, probatio dilectionis exhibitio est operis. Movet autem quod cum secundo jam veneris, noluisti ad amicum nec ad momentum etiam declinare, neque saltem per cursorem debitæ salutationis alloquium paucis consignatum apicibus destinare. Hæsi diutius, quotiesque ab illis partibus aliquis apparebat, divinabam quod ille mihi jucundum Rad. mei nunciaret adventum. Frustratus toties, ex hoc nunc nihil audeo divinare, sed caritatem tuam duxi literis præsentibus, si forte obdormierit, excitandam, aut si quem forte concepit falsa suspicione languorem, de perseverantiæ meæ nuncio convalescat. Noveris enim nihil tibi apud me de pristina caritate perisse, sed quasi duplicatus amor est, cum eum tibi mea mens cogatur exsolvere, quem aliquando duobus impendebat affectum, sublatus siqui-

dem est e medio communis amicus noster Rad. de Flur. qui dimidium animæ meæ videtur moriens abstulisse. Ipsius mihi semper est colenda memoria, ipsius amor semper, quibuscunque modis id fieri potuerit, instaurandus. Duobus autem modis defuncto vicem amicitiæ judico rependendam, ut primo scilicet piis apud Deum intercessionibus adjuvetur: secundo hi quos ipse dilexerat dilectione vicaria diligantur. Inde est quod amor noster ab illo in te quasi quodam hæreditariæ successionis jure transfusus est, ut jam te non simplici, sed duplicato complectar affectu. Tibi enim præ cæteris hæc est deferenda successio, quem ille præ cæteris diligebat, tibique eam quasi quodam testamento specialis amicitiæ prærogativa consignat. Gere igitur suum amicitiæ morem, certisque clarescat indiciis ipsam novas vires de nova duplicatione traxisse. Scribe autem interim aliquid, ut in alterius utriusque videar suscepisse sermonem. Injunge quod vis, ut in altero utrique videar obsequium præstitisse: visita nos, ut possim utriusque personam in altero contemplari. Scribe, inquam, quia si scripseris, hoc ipsum tibi studii poterit augere materiam, nec propositi operis provectum impediet aut proventum. Injunge aliquid, ut aliqua amicitiæ perseverantis argumenta procedant, quia eam efficacius comprobat petendi fiducia, quam liberalitas offerendi. Visita nos quia te, cum desiderium nostrum, tum loci propinquitas, tum etiam solemnitas invitat. Dominus quoque Willelmus de Ver ex promissione tenetur ut veniat, vobisque invicem solatiari poteritis, et nobis sanctæ solemnitatis gaudia duplicare. Valete.

17. *Ad Papam Adrianum.*

Adolescens quem ad accingendum militiæ cingulo vestra mihi dignatio commendavit, cum divertisset aliquatenus, quia securum per urbem transitum non habebat, infirmatus rediit, tantique incendio caloris accensus est, ut de salute ejus timendum plurimi credidissent. Viribus tamen de hilaritate promissæ instructionis assumptis, ad Milonem vestrum et patrem Radicosium usque perductus est. Plurimumque pater super ægritudine filii de beneficii vestri gratia solamen accepit. Cum vero adolescenti requiem suasissem, et ego ei per assignatam personam nihilominus fidem debitæ promissionis implerem, venire semper usque ad condictum locum simulata valetudine apud indulgentiam paternæ pietatis obtinuit. Sane cum in via non declinaret infirmitas, sed importuno semper ascensu morbo morbus accederet, veritus sum ne quod de diuturnitate præcavisse putaveram, ex ipsa mihi brevitate temporis eveniret. Expertus sum affectiones animorum plurimum conferre, vel auferre corporibus, sæpiusque de earum qualitatibus ipsorum vel periculum procedere, vel salutem. Ferebatur enim animo magis quam corpore, quia vires corporis animi restaurabat hilaritas, fortiusque trahebatur desiderio quam ægritudine tardaretur. Pervenimus itaque Lucam, ubi sicut apparuit, infra decem dies vel plures arma coaptari non poterant, nec is cui parabantur, quoniam in lectum decubuerat, percipere potuisset. Porro miles quidam qui mihi a patre fuerat assignatus, cœpit utilius de necessitate consilium, habitaque omnium ratione, petiit sibi in eam causam XL. libras pruveniensium numerari. Affectabat enim meliores equos longiore tractu temporis explorare. Cæteraque omnia quanto

spaciosius, tanto commodius comparare. Quoniam repentinos emptores sæpe circumvenit sagax astutia venditorum. Adquievi libentius; neque enim poteram incertam pueri valetudinem expectare, nec esset mihi tutum morari diutius, ne prænunciato adventu meo mihi inter vias insidiæ pararentur. Adjeci autem nomine expensarum ad moram reditumque quod oportuit, ne de eo quod ad aliud destinatum erat, aliquid detrahere necessitas aliqua coegisset. Visi sunt mihi multas vobis super beneficio vestro gratias habuisse, mihique ipsi ab eis sunt grates exhibitæ, quasi de reliquiis et vestrarum plenitudine gratiarum.

18. *Ad Johannem Neapolitanum et Willelmum Papiensem Cardinalem.*

Audita sanctæ Romanæ Ecclesiæ turbatione condolui, quia dolorem matris audire sine compassione non poteram filius spiritualis. Mihi enim dolor ille specialius incumbebat, quem ipsa semper hactenus tanta caritate dilexit, tanta familiaritate dignata est, tot beneficiis et honoribus illustravit. Postmodum autem audito in cujus personam omnium fere vota convenerant, mœrorem gaudio, plorationem cythara, vocem planctus organo commutavi. Gavisus siquidem sum paucos a generali concordia descivisse, quorum numerus nihil aut parum unitati Catholicæ poterit derogare. Gavisus, inquam, quia ei rerum summa commissa est, per quem facile restauranda libertas Ecclesiæ creditur et honestas. Porro mea non fuit interim otiosa devotio, sed apud eos in quorum oculis Deus mihi dedit aliquid auctoritatis et gratiæ, causam Ecclesiæ peroravi, et Principem nostrum Regem Anglorum, in favorem patris hujus

primus et solus adhibito quod oportuit instantiæ confirmavi. Profecto venissem jam ad pedes Apostolicæ beatitudinis amplectendos, et miscendum desiderabile cum vestra caritate colloquium, nisi belligerante in partibus nostris Principe, multis me importunitatibus necessitas improba detineret. Vestræ itaque benignitatis erit et gratiæ, absentiam meam interim apud eum vestra supplere præsentia, obsequiumque meum, si aliqua videbitur parte opportunum offerre, quoniam ad omne quod paucis mihi fuerit apicibus indicatum, paratus sum ei et vobis tota devotione totam impendere facultatem.

19. *Ad Abbatem S. Ebrulfi.*

Scire debetis omnes obligationes prædecessoris vestri in personam vestram recta via transisse, quibuscunque monasterium vestrum in decessu ipsius extitit obligatum: sed et eædem obligationes, si forte fuerant, religione qualibet interveniente firmatæ, eidem vinculo vos credatis obnoxium, quem in locum illius successisse constat, et omnes tam utilitates quam onera monasterii suscepisse. Propter quod Hugonis et Drogonis de Cambri graviter instantia nos infestat super pecunia, quam prædicto prædecessori vestro totique capitulo crediderunt, cujus solutionem certum est ipsum et universitatem totam fide per vicarias manus corporaliter intervenientе firmasse. Ad majorem quoque cautelam decem de fidelibus monasterii pari vinculo se nihilominus astrinxerunt, quos scilicet creditorum providentia magis idoneos credidit ad solvendum. Postmodum vero qua fide, qua diligentia negotium vestrum gesserim apud eos, vestra præsentia recognovit, cum vobis et usuras remitti fecerim, et necessitatem

solutionis in duorum annorum curricula prorogari. Cumque nulla inter vos posset, nisi me interveniente, provenire concordia, obligavi me pro vobis, promisso scilicet quod suo tempore fidem debitam facerem, placitis conventionibus exhiberi. Porro sanctitas vestra minorem meritis meis gratiam retulit, minorem Episcopali reverentiam detulit dignitati, minusque opinioni suæ, minus fidei fratrum, salutique prospexit. Quid enim si semel consensit universitas obligari, nunquid reatus Abbatis, aut depositio potuit eos ære alieno quod contraxerant, fideque super ipso præstita, liberare? In vos tamen hæc potius quam in ipsos debet culpa conferri, cum eis circa spiritualia propensius occupatis, ipsi fidei et diligentiæ vestræ suam et potestatem crediderint et salutem. Quod si vos curam animarum suscepistis bona fide gerendam, ad conservandam fidem eorum principaliter intendere debuistis, præsertim cum hujusmodi transgressio soleat criminalis etiam in sæcularibus æstimari. Super quod si ignorantiam eorum simplicitas fidelis excusat, in vos tam vestra quam ea quæ eorum futura esset si rescissent, jure culpa transfertur, duplicisque reatus duplex vos constituit negligentia transgressorem. Accedit quod prudentiam vestram semel iterumque commonui ut creditores exorare, adhibita etiam nostra intercessione, velletis: quod facile fieri poterat, ut solis precibus salva vobis adhuc esse posset et utilitas et honestas. Redite igitur ad cor, et contemptum hunc consilio meliore deponite, fidem nostram et vestram et fratrum vestrorum ab hac, si etiam est calumnia, liberate, quoniam res ista plurimam opinioni vestræ jam intulit læsionem, et si fortassis non abstulerit conscientiæ puritatem. Quod si veteri proposito decrevistis insistere, me quidem mendacem promis-

sionis existere non oportet, sed ubi consilii mansuetudo non proficit, manum fortitudinis convenit adhibere. Studii itaque vestri sit infra proximum Pentecosten satisfacere, sicut in nostra fuit præsentia constitutum. Alioquin ex ea die fraternitatem vestram ab officio altaris noveritis, ea qua præeminemus auctoritate, suspensam: fratrum vero vestrorum conscientiæ relinquo, quo modo munus offerant ad altare, si non fuerit creditoribus satisfactum, quibus ipsi se, etsi non propriis, vicariis tamen manibus astrinxerunt.

20. *Ad eundem.*

Pro Willelmo monacho olim nos fraternitati tuæ semel et iterum scripsisse meminimus, ut eum in monasterio tuo, in quo professus est, reciperes, et paratum ad omnem humilitatem et obedientiam benignitate debita confoveres. Quod si adversus eum fraternitas tua aliquid haberet, quominus recipiendum esse decerneres, id ipsum nobis, assignato tibi loco et tempore congruo demonstrares, ne aut ipse sine culpa societate collegii privaretur, aut quies fratrum importuno reprobandæ personæ turbaretur accessu. Ovis enim ad ovile potius humeris est reportanda pastoris, quam luporum morsibus exponenda, ad cujus salutem impreciabilis ille Christi sanguis effusus est, et institutionis Evangelicæ doctrina concurrit. Nos vero cum tu nec monachum juxta mandata reciperes, nec post secundam etiam vocationem nostro te conspectui præsentares, ne in contemptum Episcopalis reverentia verteretur, ad veniendum te mandato severiore compulimus, prædicto fratri de exclusione, nobis de inobedientia responsurum. Postmodum tamen, ne quid motu

quolibet facere crederemur, nosti quanta injuriam nostram facilitate remisimus, ut et tu exemplo nostro posses ad misericordiam invitari. Tu vero quam durum te et inexorabilem præstiteris, meministi, asserens sæpe dictum fratrem publica totius capituli sententia condemnatum exisse, pro delicto quodam, quod, sicut aiebas, secundum privatas institutiones vestras veniam non meretur. Ille vero cum delictum modis omnibus, sententiamque capituli pernegasset, innocentiam suam testimonio capituli cum omni, sicut visum est, securitate commisit. Placuit itaque nobis consilio magnorum virorum qui aderant, ipsum et religiosas ad capitulum vice nostra destinare personas, per quas nobis exquisitam remitteret attestatio publica veritatem. Tu autem in absentem testimonium dici multa instantia postulabas, nec te permissurum pro nobis ipsum vel capitulum intrare, vel aliquid quod ibi diceretur audire, cum in inquisitione criminis reos præsentes esse oporteat, et omnem eis audiendi et respondendi copiam indulgeri. Super quo, quia de sæpe dicti fratris crimine noluisti nos facere certiores, necesse habemus ipsum interim innocentem reputare, quem nec propria confessio, nec attestatio quælibet aliena convincit. Neque enim ipsum pro simplici delatione tua condemnari canonicus ordo permittit, præsertim cum te eum aliquando exosum habuisse constet, nec adhuc rancorem veteris iracundiæ sepelisse. Per præsentia itaque scripta tibi mandamus, ut eum in claustro cum cæteris fratribus sine dilatione, salva omni pristini status sui integritate, recipias, nec ullis eum molestiis inquietes, sed tanto eum benigniori caritate confoveas, quanto ipsum es severiori vehementia persecutus. Ad benigni siquidem patris amplexum filialis devotio convalescit, et sicut odia provocantur injuriis, sic benignitate

gratia comparatur. Quod si fraternitas tua præsentibus detrectaverit obedire mandatis, ab altaris officio te noveris, ea qua tibi præminemus auctoritate, suspensum, donec et fratri de injuria, et nobis sit de contemptu ordine judiciario satisfactum. Nosse siquidem debes in eo qui religionem professus est, inobedientiam crimen esse, ipsumque ad exactissimam diligentiam teneri, qui obedientiam Prælato suo viva voce et scripto, juramento etiam corporaliter interveniente, adhibita salutiferæ crucis impressione signavit.

21. *Ad Dominum Papam Alexandrum de promotione sua.*

Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, qui Ecclesiam suam, immaculatam scilicet sponsam dilecti filii sui, mirabili semper benignitate diligit et conservat. Licet enim ipsam aliquibus quandoque vexari patiatur injuriis, facit tamen cum tentatione proventum, ut possit sustinere, nec unquam portas inferi adversus eam prævalere permittit. Neque enim expedit ut continuæ prosperitatis status eam insolentem reddat, vel otiositas negligentem, sed humilitatem conservet afflictio, et vexatio tribuat intellectum. Et ei quidem omnia cooperantur in bonum, dum ipsa tanquam aurum in fornace probatur: et ad augmentum coronæ cuncta proficiunt, dum eam vis adversitatis fortiorem reddit, et malignitatis infestatio cautiorem. Ipse vero miserator et misericors Dominus ad tempora tribulationis viros virtutis et consilii providet et præformat, qui temeritatis audaciam repellere valeant, et malignitatis astutiam noverint declinare. Quod in sanctæ et gloriosæ recordationis Innocentio Papa satis evi-

denter apparuit, qui extollentem se adversus omne quod dicitur aut quod colitur Deus, dejecit hæreticum, quem nobilitas generis, quem divitiarum cumulus, quem peccatrix eloquentia, quem prudentia sæcularis, quem denique sæcularium hominum favor publicus attollebat. Prævaluit tamen in athleta Dei veritas falsitati, et humilitati robustæ superba cessit ambitio, et de iniquitate justitia triumphavit. Vidimus siquidem ipsum exaltatum et elevatum, sicut cedros Libani, et transivimus, et ecce non erat: quæsivimus, et non est inventus locus ejus, quia nec inter mortuos tumulum neque titulum meruit sepulturæ. Dominus autem sublimavit cornu Christi sui, ut in eo unitas Ecclesiæ reformari posset, et regnum ipsius omnibus dominari. Memini ego, nec id a vestra reor excidisse memoria, quanta ad mandata ejus Principes reverentia moverentur, quam sublimis extiterit, quantaque majestate refulserit Ecclesia, quantum in diebus ejus religio munda et immaculata profecerit, adeo ut plures hodie religiosorum deserta contineant, quam ferarum olim habuerint bestiarum. Arbitrabatur ille ad regendos homines utendum potius sobriæ severitatis disciplina, quam remissæ misericordiæ lenitate, Deo potius quam hominibus placere desiderans, ne ob gratiam hominum, coram Deo posset contemptibilis apparere. Unde et virtus ejus semper inter adversa major enituit, nec tanta postmodum prosperitatis ejus insignia claruerunt, quanta præcedentis adversitatis adhuc magnalia celebrantur. Neque enim confidebat in homine, neque carnem ponebat brachium suum, sed potius confidebat in Domino, et erat Dominus fiducia ejus. Porro schismata hæc in Ecclesia Romana frequentius accidisse, etiam Lateranensis Palatii picturæ demonstrant, ubi Catholicorum patrum pedibus, pro scabello

schismatici præsumptores adscripti sunt, ubi superborum et sublimium colla sapientia propria virtute conterit et conculcat. Quod sane ea ratione factum est, ut sanctis patribus cedat ad gloriam victoriæ testis ascriptio, in qua præsumptores illi vel compressionis pœnam sustinent, vel præsumptionis veniam deprecantur. Unde et sancti Apostolatus vestri cathedra sine scabello esse non debuit, sed nobiliore scabello debuit illustrari. Neque enim incerta vobis est, aut longinqua victoria, sed humilitas verecundiæ vestræ punitur ad tempus, quæ congregatis in Spiritu sancto patribus distulit obedire. Pari etenim culpæ tenetur obnoxius, qui vocationem Domini prævenit, vel recusat oblatam. Redibit tamen in proximo, Deo volente, serenitas, et modica hæc ad radios veri Solis nebula dissolvetur, et redintegrata unitate Catholica ab omni parte pedibus vestris universitas fidelis occurret. Interim autem quæcunque cæteros studia remorentur, quibuscunque desideriis prophana trahatur ambitio, quantacunque temeritate detestabilis erumpat invidia, ego minor licet omnibus, non minore tamen gaudio quam cæteri, gloriam vestræ promotionis amplector, et vos Apostolum Christi, Petri vicarium, pastorem et Episcopum omnium qui Christiano nomine censentur agnosco, et vobiscum catholicam profiteor unitatem. Gaudeo itaque quoniam desideratus dies, dies scilicet exultationis, illuxit, quo revera restitutam credimus virtutibus gratiam, virgam vitiis, terrorem principibus, Ecclesiæ libertatem. Gaudeo, inquam, quia ex hoc nunc sermo Dei non erit alligatus, sed verbum ejus, quod in ore vestro verum est, quod impossibile credebatur, facili consummabitur effectu. Properassem igitur jam ad pedes vestræ beatitudinis amplectendos, ut ariditatem meam, quasi copiosior de proximo benedictionis

vestræ rigaret ubertas, nisi me zelus utilitatis vestræ maxime tenuisset. Ex quo etenim promotionis vestræ auribus nostris veritas, et oppositæ præsumptionis error innotuit, festinavi ad nostri notitiam Principis id perferre, ut vacantem animum ejus favore vestro, quibus debebam persuasionibus occuparem, ne nos qualibet occasione malignitatis astutia præveniret: facilius etenim est animos occupare vacantes, quam ipsos a conceptis affectibus revocare. Hæsit ille aliquandiu, sed statim operante Spiritus sancti gratia confirmatus, nullum se alium quam vos suscepturum hilari constantia, constantique simul hilaritate promisit. In quo cum proxime de differenda vestra susceptione Imperatoris literas accepisset, cui discurrentibus invicem literis et legatis, plurima videtur caritate conjunctus, ne preces ejus sprevisse, et in præjudicium ejus festinasse videretur, generale quidem suppressit edictum, sed nequaquam manus aut linguam a literarum nominisque vestri veneratione continuit, neque quenquam nostrum voluit continere. Arbitratus est siquidem minus valituram pro vobis edicti jactantiam, quam operis veritatem. Firma apud eum est et indubitata vestri Apostolatus auctoritas, atque in quamcunque partem cor prædicti Principis fuerit inclinatum, iste proculdubio non sequetur errantem. Mei autem studii erit omnes circa eum quasi vigilias observare, ne ora loquentium iniqua convaleant, sed ipse in vestra, sicut semel incepit, obedientia perseveret. Felicem enim me, inquam, si unquam in hoc vel in alio beneficentiæ vestræ gratus inveniar, ut devotionis meæ saltem inter cæteros aliquando velit vestra dignatio reminisci. Vestrum quoque est, quoties refulget occasio, provincias omnes frequentibus visitare mandatis, ut ab omni parte nomini vestro et obedientiæ pariter

assuescant, quia non erit qui vel literas non recipere, vel mandatis audeat obviare.

22. *Rescriptum Domini Papæ Alexandri.*

Alexander Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Arnulpho Lexoviensi Episcopo salutem, et Apostolicam benedictionem.

Literas a tua nobis prudentia destinatas tanto hilariori mente suscepimus, quanto de uberiori pinguedine caritatis, et ampliori fervore devotionis eas novimus processisse. Quas et nos ipsi attente satis ac diligenter inspeximus, et ut conceptæ dilectionis integritas et probatæ fidei certitudo in tenebris non lateret, sed fieret ignorantibus manifesta, eas in fratrum nostrorum auditorio publice fecimus recitari. Ipsæ profecto et devotissimi continebant puritatem animi, nec minus luculentam profundi pectoris eloquentiam redolebant. Novimus autem et immemores non existimus, qualiter sicut et ipsa tua scripta plenarie continebant, divæ ac reverendæ memoriæ Innocentio Papæ, antecessori nostro, schismaticus ille, qui et generositate naturæ, rerum copia terrenarum, prudentia sæculari, et gratia labiorum, mira æstimatione reddebatur insignis, nefaria temeritate succrevit et innocentem noxius, fortis debilem, armatus inermem, schismaticus catholicum impugnabat. Cæterum ad quem finem res ipsa, Deo miserante, pervenerit, devoti et fideles Ecclesiæ filii, per gloriam meritorum; mali vero, per suppliciorum gravamina cognoverunt. Quid etiam de aliis similia præsumentibus antea sæpenumero contigisset, tu tam fecunde, quam eleganter in illis eisdem literis expressisti. Temporibusque nostris optimus Deus voluit hæreses

suscitare, ut qui probati sunt, manifesti fiant, et ut per nostram et aliorum catholicorum studium et laborem granis a paleis in area Domini segregatis, schismata et hæreses conterantur. Credimus siquidem, et de gratia divina confidimus, quod in proximo sedatis fluctibus procellarum, et ventorum turbine propulsato, dies nobis serenus et fulgidus arridebit, et calcatis inimicis Ecclesiæ tranquilla in portu Petri navicula residebit. Persolvimus autem gratias omnium conditori, laudum præconia referentes, quod magnificum illum et serenissimum orbis Principem, Henricum Regem Anglorum, audimus firmum et stabilem in Catholicæ unitate Ecclesiæ permanere, et quod per tuam præsertim inductionem idem in sancto proposito nobilissimum animum solidavit. Rogamus sane ut ita vigil semper circa eum et sollicitus perseveres, ne per frequentes vexationes Imperatoris et nunciorum suorum, a devotione Ecclesiæ et nostra, quod absit, velit modo quolibet declinare. Volumus quidem te apud eundem Regem et Episcopos atque adjacentes personas, quasi quendam Apostolum et nuncium veritatis in illis partibus, experiri. Circumpositos quoque et vicinos Episcopos, et tam Ecclesiasticas quam sæculares personas, nobiles præcipue ac potentes, ad hoc ipsum efficaci studio et omni diligentia exhorteris. Nos enim personam tuam quam sincera caritate in Domino diligamus, atque ad honorem et exaltationem tuam quam prompto animo desideremus intendere, per illum dilectionis fervorem, quem circa te et ante promotionem nostram habuimus, discretionis tuæ prudentiam non credimus ignorare. Præterea qualiter Fridericus Romanorum Imperator, avorum suorum sceleratissima vestigia subsecutus, circa sacro-sanctam Ecclesiam Romanam in præsenti se habeat, et olim habuerit, et qualem

circa eam animum gerat, qui utique specialis ejus patronus deberet et defensor existere, multis rerum indiciis a longis retro temporibus, ad notitiam tuam non ambigimus pervenisse. A tempore siquidem antecessoris nostri piæ recordationis Adriani Papæ, et ab exordio dignitatis suæ, cœpit sanctam Romanam Ecclesiam, tanquam tyrannus, opprimere et non mediocriter infestare: Archiepiscopos namque et Episcopos a sede Apostolica redeuntes, in ignominiam et detrimentum Ecclesiæ plerumque capi turpiter et inhoneste præcepit, eosque fecit carceris custodiæ mancipari. Nos quoque in minori officio constitutos, qui cum venerabili fratre nostro B. nunc Portuensi Episcopo, ad eum fuimus delegati, qualiter apud Bisuntium ipse tractaverit, et quam indigne receperit, non opus est nos in præsenti referre, quia credimus te id ipsum plenarie cognovisse. Veniente etiam prædicto antecessore nostro, patrimonium beati Petri violenter invasit, et eandem Romanam Ecclesiam nisus est modis omnibus conculcare, ita quod a pluribus dicebatur, et quasi fama communis habebat, quoniam eo superstite Ottonem, qui semper fuit domesticus Ecclesiæ inimicus, ordinare Apostolicum, immo Apostaticum, si opportunitatem acciperet, intendebat. Quia vero illo vivente omnipotens Deus non permisit eum conceptam vesaniam exercere, post mortem ejus opportunitate concepta prædictum Ottonem schismaticum, symoniacum, et manifestissimum invasorem, qui cum tribus tantum maliciæ suæ complicibus, sicut totus pene mundus agnovit, post canonicam et unanimem electionem nostram mantum arripuit, et ita se damnabili præsumptione intrusit, in tanta iniquitate modis omnibus manu tenuit, et quidquid ille fecit, solo favore, potentia, et auctoritate ipsius, et nunciorum suorum,

qui in urbe præsentes extiterant, eum fecisse absque ambiguitate tenemus. Unde ad confirmationem ipsius, immo ut omnem videretur in Ecclesia Dei auctoritatem habere, Archiepiscopos, Episcopos, et alios Ecclesiarum Prælatos, apud Papiam, contra sacrorum instituta Canonum, prout ei placuit, convocavit. Ille autem, sicut homo qui nec in Deo, nec in justitia confidebat, in ipsius Imperatoris præsentia per aliquot dies, velut pro certo accepimus, insignia Pontificatus accepit, sicut etiam in nostro et fratrum nostrorum conspectu, dum Romæ olim nos teneret inclusos, suam malitiam recognoscens, facere voluit, ea quidem conditione servata, ut nos ei postmodum reddere deberemus. Cumque nos ea recipere sub hac conditione nollemus, ipse in sua pertinacia et damnabili præsumptione permansit. Cæterum ut prædictus Imperator Ecclesiam Dei suæ videretur subjugare et supponere ditioni, et eam in supremam redigere servitutem, memorato apostatico, sicut dictum est, Pontificalia insignia reddidit, et eum de Papatu, quod est a sæculis inauditum, per annulum, prout dicitur, investivit. Quosdam etiam Episcopos, aliis discretioribus et honestioribus occulte de illo conciliabulo fugientibus, ei reverentiam exhibere laicali violentia tyrannica oppressione coegit. Sic enim Reges et Principes diversarum partium sibi intendit, tum spirituali, tum materiali gladio subjugare, si in hac parte, quod absit, nefandissimum ejus propositum prævaleret. Ad hæc, juxta prudentiæ tuæ consilium, Rothomagensi Archiepiscopo ejusque suffraganeis, et aliis per Normanniam constitutis, exhortationis literas destinamus. De cætero memoratum Fredericum Imperatorem, pro eo quod Ottonem schismaticum recepit, et ei pertinaciter adhærere præsumit, cum eodem Ottone et cum aliis principa-

libus fautoribus suis, nos de communi fratrum nostrorum consilio, in cœna Domini publice ac solemniter excommunicasse cognoscas. Data Anagn. Kal. Aprilis.

23. *Ad Archiepiscopos et Episcopos Angliæ.*

Quanta tempestate laboret Ecclesia, atque in quanto videatur periculo constituta, vestra quos hic dolor tangit prudentia non ignorat. Et filii quidem Babylonis prospiciunt et exultant, qui quasi certum auspicantes de procellarum quantitate naufragium, ad diripiendas sarcinas et ipsa navigii tabulata concurrunt. Nobis autem securitatem præstat divina promissio, qua portas inferi adversus eam prævalere non sinit, sed vexationis injurias victoriæ certitudo compensat. Neque enim desperationi locus est, ubi causam rectitudo commendat, et virtutem patientiæ firmat interim conscientia veritatis. Causæ siquidem nostræ nec ignota veritas est, nec incerta justitia, sed res luce clarior et pravitatis nube negotium purgat, et omni judicium absolvit errore. Si enim persona personæ comparetur, nostram perfectio scientiæ, et omnium virtutum format integritas, quod non magis nostræ, quam adversariæ quoque partis testimonio confirmatur. Alteri vero si nobilitas generis, et quæsita ob hoc ipsum potentium gratia subtrahatur, non erit unde ad majestatis Apostolicæ fastigium audeat aspirare. Sed et si facta electionum invicem conferantur electionem nostram omni ordine, omni solemnitate, omni denique ratione subnixam; alteram plenam impudentia constat, et omni rationis adminiculo destitutam. Numquid enim unius Episcopi, ipsiusque quem nostis, et duorum Cardinalium toti Ecclesiæ præjudicabit auctoritas, et reprobata

universitate Catholica intra quaternitatis hujus angustias coarctata credetur? Numquid consecrationi rite ac solenniter per eam cujus interest multitudinem celebratæ, ea quæ postmodum per paucas ipsasque emendicatas manus contracta est poterit prævalere? Numquid impudentiam conjecti sibi propriis manibus indumenti minax redemptorum satellitum violentia consecrabit? Certum siquidem est Ottonem Ecclesiam beati Petri, cum ibi celebranda foret electio, armatorum copia complevisse, ut quod de meritis suis et sanctorum patrum gratia non sperabat, strictis in cervices resistentium gladiis usurparet. Denique consensu omnium in personam sanctissimi patris Alexandri firmato, dum ipse laudabili verecundia renuit et excusat, impositumque sibi manibus fere omnium pluviale repellit, dissimulare ulterius ambitio non potuit vel differre, sed effusa temeritate nullo adhuc Cardinalium, sicut dicitur, prosequente cucurrit ad cathedram, ea nimirum fiducia, quod invitis armatis non posset ab inermibus amoveri. Pari quoque palatium festinatione conscendit, ut primus utramque cathedram videretur insedisse, et quem jure non poterat, saltem de festinatione sortiretur ascensum, quo prædicti tres eum de tota universitate secuti sunt. Alii gladiis discurrentibus territi, cum electo suo in munitionem proximam concesserunt, ubi eos adversarius ille novem diebus obsessos gladiis tenuit et inclusos, exiguam sicut poterant alimoniam toto illo tempore mendicantes. Unde etiam sibi mentiendi causam componit iniquitas, asserens Ottonem priusquam alter eligeretur, per novem dies Apostolatus cathedram solitarium insedisse, quasi ille ab initio licet renuerit non fuisset electus, uniusque violenta possessio sanctificare injustitiam, et ambitionis audaciam valeat ex-

piare. Porro illi de carcere beneficio Senatus educti ad locum quo Apostolica insignia servabantur, Domino miserante perducti sunt, ut electio manciparetur effectui, et electus gratiam consecrationis per manum Ostiensis Episcopi, ad quem hoc jure speciali pertinebat, acciperet. Denique Cardinales et Episcopi, qui per diversas Provincias legationis fungebantur officio, ad eum pari devotione conversi sunt, totique jam Ecclesiæ Dei indubitatæ tranquillitatis serenitas arrideret, nisi homo ille ad præparatum Imperatoris auxilium transfugisset. Verum ille gloriæ suæ et non Dei sedulus æmulator, desiderii complendi, quod de proavorum exemplo conceperat, occasionem lætabundus accepit. Nostis enim prædecessores ejus ad subjugandam ditioni suæ Romanam Ecclesiam a longis retro temporibus aspirasse, ipsosque adversus eam semper vel suscitasse, vel fovisse schismaticos, quo magis in jura ejus, cui ipsi ministerium debebant, affectatum possent imperium exercere, eamque ad suam converso ordine non disponere, sed evertere voluntatem. Bene tamen, quoniam quisquis ad hanc de confidentia potestatis illius prorupit audaciam, in ruinam sibi factus est, cæteris in exemplum, quo confusa deinceps cessaret elatio, et sua Ecclesiæ Dei dignitas et reverentia servaretur. Cæterum hic blanda schismatici desperantis humiliatione seductus est, dum ille personam suam arbitrio ejus exponit et causam, neque se quicquam fore, nisi de sola ipsius voluntate præsumit. Unde et ad pedes ejus ipsa dicitur Apostolatus insignia resignasse, posteaque de manu ipsius investituram accepisse per annulum, ut veteri scilicet quæstione composita, regnum plane de sacerdotio, de spiritualibus temporalia, de Ecclesiasticis viderentur sæcularia triumphasse. Indignum facinus, omnibusque sæculis detestanda

malitia, ordinationem scilicet divinam qualibet temeritate convertere, et redemptam sanguine Christi perimere libertatem. Prædictus itaque Princeps negotium suum, tanquam sub umbra pietatis exercens, Ecclesiasticum congregavit sæculari potestate conventum, ut præsumptionem schismatici illius proprio roboraret assensu, et quos posset ad obedientiam illius tyrannicæ potestatis terroribus inclinaret, ea siquidem intentione, ut utriusque gladii virtute conjuncta pristinam reformaret imperii majestatem, ut utriusque invicem cooperante potentia, omnia regna propriæ subjiciat ditioni. Porro illi quos schismatico conciliaverat necessitas aut voluntas, falsitatis et blasphemiæ symbolum conscripserunt, ut quod de veritate non possunt, saltem conquisitæ multitudinis suffragio prævalere credantur. Quod scriptum si forte contigerit ad sapientiæ vestræ venire conspectum, multa plenum falsitate credatis, licet etiam si absolutam contineret in omnibus veritatem, nihil quod ibi dispositum sit, aliquem de jure sortiretur effectum. Neque enim arbitrium dici potest, ad quod voluntaria partium compromissio non astringit, nec judicialis sententia, quæ nec ab ordinaria jurisdictione, nec a delegata procedit. Sed et causam communem privata auctoritate decidere, qua arrogantia præsumpserunt, nobisque tanquam inferioribus imponere magistratum, quos divina bonitas pares ordine, et eadem spectabiles constituit dignitate. Sed neque causa dici debet, ubi inter consentientes nullum potuit esse litigium, neque sine contradictione quæstio vel formari potuit, vel absolvi. Ad hæc si quod de Ottone factum est ab initio forte non valuit, ex post facto istorum nullo jure valuit confirmari, cum ipse jam ab eo qui poterat condemnationis sententiam, debitique pœnam anathematis excepisset.

Scio sapientiam vestram validioribus argumentis, potioribusque rationibus abundare, ut Papiense illud Conciliabulum nullius reputetis extitisse momenti, et a vobis etiam minus intelligentium simplicitas valeat edoceri. Benedictus autem pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui Ecclesiæ Gallicanæ solitam misericordiam benignus impendit, ut eam semper et agnitione veritatis illustret, et pedes ejus a justitiæ tramite nullatenus aberrare permittat. Sicut enim omnes quos ad oppressionem Romanæ Ecclesiæ rabida Teutonici furoris provexit invidia, virtus altissimi manifesta dejecit, sic omnibus quos devotio Gallicana suscepit, victoriam semper contulit et triumphum. Cumque multis constet cæteras regiones abundasse portentis, sola Gallia monstra non habuit, sed sinceritate fidei, doctrinæ veritate, virtutum quoque titulis, et plurima operum exhibitione præfulsit. Unde nunc quoque personarum penitus qualitate discussa, factisque electionum plenius exploratis, in personam sanctissimi patris Alexandri, de vere Catholici et serenissimi Regis sui beneplacito convenerunt, literasque ejus et nuncios passim et suscipiunt et honorant. Sed quia inter ipsum et Principem nostrum, Deo volente, noviter est reformata concordia, placuit ob gratiam ipsius ad momentum differre publicandæ susceptionis edictum, donec iste noster Ecclesiam regni sui consuluisse posset, et quod mente concepit, assensus vestri conniventia confirmasse. Neque enim prudentiam Regalis excellentiæ decuit, aliquid super tanto negotio inconsulta vestra sapientia diffinire, ne gloriam suam alteri dedisse videretur, et reverentiam vestram minoris quam debuit æstimasse. Quæ tamen super hoc ipsius ab initio voluntas extiterit, multis declaravit indiciis et expressit, quoniam patris Alexandri

nuncios et literas cum reverentia semper excepit et gratia, nullumque se alium suscepturum, adhibita sæpe coram omnibus asseveratione, prædixit. Porro literas Otto oblatas renuit manu regia, velut immundum aliquid sordidumque contingere, sed in contemptum ejus ligneæ tabellæ, quam ipse de pulvere sustulit, manibus offerentis impositas, ipse statim coram nuncio post dorsum suum quam sublimius potuit, risu multitudinis quæ aderat prosequente, projecit. Ex his igitur manifestum est voluntatem ejus in favorem domini Alexandri, sine omni ambiguitate firmatam, ipsumque vestrum magis ob reverentiam quæsisse consilium, quam pro absolvenda qualibet super hoc negotio quæstione. Solent enim Principes Dominique terrarum, majora negotia quadam semper mora suspendere, ut dilatione crescat auctoritas, et major lætitia desideria protracta consummet. Super quo plane cum in idem favor Principis veritasque concurrant, manifeste vobis viam responsionis gratia divinæ bonitatis assignat. Oportet tamen vos propter aliquos, qui inter vos sunt, sollicite providere qui se schismatico illi dicunt cognatione conjunctos, ne malignitas forte prævaleat, et eam quæ ex Deo est supplantet carnis affectio caritatem. Sed cum universitas vestra convenerit, nolite quorumlibet expectare sententias, nec eorum timeatis offensam, sed conceptum statim in virtute spiritus usurpate sermonem, ne dissimulatio vestra pravitati præstet audaciam, vestroque silentio blasphemiarum primitia convalescant. Tempestivius igitur zelus justitiæ per os vestrum de libertate conscientiæ, et confidentia veritatis erumpat, ut quasi quodam spirituali tonitruo terreatur iniquitas, et præparata ad subversionem fidei fallacia suffocetur. Dominus mentes vestras in bonum sua pietate diri-

gat et confirmet, ut Ecclesiæ ejus studio vestro reformetur integritas, et quæ vos tantis ultro beneficiis et honore prævenit, gratos in opportunitate sentiat et fideles.

24. *Ad Cardinales Romanæ Ecclesiæ de electione Domini Papæ Alexandri.*

Quam utilis apud Principes nostros ad agnitionem sancti Apostolatus, reverentissimi Domini et patris nostri Alexandri Papæ diligentia nostræ devotionis extiterit, ad notitiam vestram fidelium relatione perveniet aut pervenit. Neque enim necessaria mihi est in hac parte jactantia, ut vobis rei veritas innotescat, quoniam me etiam dissimulante latere non poterit, quod Normannia tota mirata est, et ipsa de longinquo nihilominus Anglia recognovit. Bene autem mihi, quia jam fructum diligentiæ hujus præmiumque laboris accipio, quoniam mihi salva est gloria mea, testimonium scilicet conscientiæ meæ, penes quam gratiæ Apostolicæ plenitudinem et indubitatam divinæ benedictionis percipio veritatem. Gaudeo itaque sciens me re vera matris meæ gremio contineri, ipsiusque sacris foveri complexibus et sinceris uberibus allactari. Gaudeo inquam, cognoscens quam obstinato schismatici miserandæ cæcitatis claudantur errore, quorum oculos circumfusæ lucis radii non illustrant, sed ipse potius excedens manifestæ fulgor claritatis offundit. Judicati sunt, debitamque commissi reatus excepere sententiam, quos Ecclesia tanquam degeneres Sathanæ tradidit in interitum carnis, et a Catholica depulit unitate. Neque caret executione sententia, sed indilato mancipatur effectui, cum eos interim et conscientia torqueat, et imminens quotidie prævalentis Ecclesiæ triumphus affligat.

Porro benignius Ecclesiæ suæ sapientia divina providit manifestam faciens omnibus veritatem, ut nec simplicitas ignorantiam, nec malignitas probabile quidlibet valeat allegare. Si enim eos quos ab unitate Catholica profana sejunxit ambitio, numerus, vel opinio, vel quælibet electionis forma defenderet, aliqua fortassis erroris materia contrahi potuisset. Sed tres tantum de tota universitate seducti sunt, et hi sane, quos magis supportare videbatur Ecclesia, quam in aliquo de eorum industria gloriari, quia scilicet eos nec virtutis elegantia, nec literarum peritia commendabat. Nunquid enim is qui inter eos ætate præcedebat et ordine, Tusculanum loquor, horam quietis et prandii solitus observare: Epicurus alter reputabatur, ab omnibus omnium negligens, nisi alicujus forte quod oblata sperati proventus auspicatio præveniret. Quod adeo verum est, ut cæteris laborantibus solus præmature, sicut dicitur, ab electione discesserit, quoniam hora prandii videbatur instare, ne avidus desiderio suo fraudaretur exactor, et inania adversus negligentes manus inciperent viscera murmurare. Alius affectatæ cancellariæ confusus opprobrio, et alienæ prælationis honore dejectus, conceptum de invidia personale odium in Ecclesiam convertere temeraria malignitate præsumpsit. Tertius vero solius inter alios perituræ privilegio carnis exultans, arbitratus est nihil negandum sanguini, nihil sacris Canonibus deferendum. Neque enim potest debitam eis exhibere reverentiam, quos ignorat. Ideoque similem sibi Brutum Brutus elegit, ut in utroque sibi invicem de pari literarum imperitia responderet. Sed et Apostolicæ severitatis eos disciplina terrebat, ne eorum præcipitem cohiberet audaciam, et vagos temerariæ cupiditatis frænaret excursus. Hic numerus, hæc tanta peritia, hoc tam

venerabile sanctumque collegium, Ecclesiam Dei, immaculatam scilicet sponsam dilecti filii sui, renitentibus universis affectavit ad propriam pertrahere voluntatem, et a dextris Regis ad detestabiles Sathanæ transferre complexus. Visa tamen totius fere universitatis concordia desperati, ad unitatem statim redituri fuerant vel inviti: sed stupentibus ipsis, ideoque cessantibus schismatici majoris diutius effrænata non tulit ambitio, præparatoque furtim, sicut dicitur, pluviali de manibus offerentis arrepto, in humeros suos tanta festinatione conjecit, ut hærentibus collo fimbriis pavimentum lamberet pars superior indumenti. Sic indutus ad cathedram, nullo adhuc etiam prædictorum comitante cucurrit, nomen ipse sibi victoris acclamans, et ad suffragandum sibi et decantandas laudes præparatos impudenter exhortans. Mirum spectaculum, nec manifesto carens futuræ veritatis auspicio, scilicet quod hic ei in ruinam quandoque vertetur ascensus, sicut ipsa præsumptæ chlamydis inversa conversio præsignabat. Interea reseratis Ecclesiæ foribus, infame illud maledictorum genus irrupit: hoc enim cognationis illius vetus agnomen est, de qua ad effundendam benedictionem in omnes gentes Pontifex dicebatur assumi. Qualiter autem de stirpe maledictionis possit benedictio propagari, facile non apparet, præsertim per istum, in quo vetustæ maledictionis opprobrium, merita contractæ noviter execrationis attollunt. Discurrentibus igitur armatis, cœpit per Ecclesiam, quasi quædam Theatralis scena, disponi, dum parietes fulgor illustraret armorum, et lasciva quasi triumphantium acclamatio resultaret. Horum manibus denique pluviali composito, ad Palatium usque perductus est, comitantibus his paucisque sacerdotibus, quorum infamis quæstus est simplicitatem pere-

grinorum eludere, et assiduis altare beati Petri sacrilegiis infestare. Porro hæc initia ejus non sunt meliore gavisa processu, si quis vel emendicatæ execrationis ordinem, vel redemptam laicæ gratiam potestatis exquirat. Nonne enim sacrilegii facinus de majori cumulum iniquitate contraxit, cum simoniacam constet intercessisse per omnia pravitatem, sicut refusa Senatui populoque Romano pecunia, publicisque palam ædificiis impensa convincit. Sed et hoc immanius est, quod redemptam sanguine Christi prostituit libertatem, quatenus Ecclesia, quæ jure suo cunctis semper est dominata Principibus, Officialis sui manciparetur obsequio, quo et incomparabilis privilegium majestatis amitteret, et ad miserabilem statum conditionis novissime deveniret. Et nos quidem non potuimus hæc oculis præsentibus intueri, sed veritas ad nos per eos qui viderunt fideli relatione pervenit. Quod autem publice gestum est, multorum nobis testimonio potuit confirmari, præsertim cum testes præreptæ dignitatis honore præfulgeant, et simplex absolutam reddat concordia veritatem. Hac igitur parte de qualitate negotii, et personarum meritis æstimata, jocundum mihi est ad partem alteram oculos animumque convertere, et opus eorum qui elegerunt per singulas partes toto mentis gaudio contemplari, eique referre gratias, qui sancto collegio vestro prudentiam contulit et virtutem, qua et serpentis declinare malitiam, et grassantis superbiæ valuistis repellere pravitatem. Sed neque nomen partis tantilla eorum meretur exceptio, nec universitatem nostram partis decet appellatione censeri, quia perditorum segregatio munerum non minuit electorum, nec detrimentum sentit area domini, si granis manentibus paleæ ventilabro purgante discedunt. Igitur omnia recensenti mani-

festum quod sanctitatis zelus consecravit initia, processum juncta prudentiæ fortitudo direxit, patientia debito consummabit effectu, pacem Deo volente perseverantiæ fides inconcussa præstabit. Nihil hic carnale, nihil terrenum, nihil vestri ad privatam utilitatem oculi respexerunt, sed ad commune bonum, et honorem Ecclesiæ, totis vos constat anhelasse desideriis, totis viribus insudasse. Prædicabitur itaque nomen vestrum, et a mari usque ad mare excellentiæ vestræ gloria personabit, formamque dabit posteris et exemplum, ne a justitia et veritate persecutionis cujuslibet errore discedant. Ad hæc, spiritus quoque testimonium perhibet spiritui nostro, quia nobiscum schismaticum illum publica omnium conscientia respuit et condemnat, et electum nobis Antistitem sinceræ caritatis et reverentiæ brachiis amplexatur. Opera siquidem illius manifesta sunt, opera scilicet maledictionis et scandali, opus autem istius in benedictione est, et favor ejus in gentes quotidie convalescit. Corda enim omnium nobiscum sunt, eorum etiam quorum linguæ nobis qualibet sæculari necessitate reclamant, adeo ut si nondum de corporibus, de cordibus tamen omnium verum sit Ecclesiam triumphasse. Nonne enim in eos qui ab hac fidei unitate dissentiunt ultio divina manifeste procedit, et voluntas ejus evidentibus indiciis declarata patescit? Nonne Princeps ille, cui similem a multo tempore Roma non habuit, cujus dominus apprehendisse dexteram dicebatur, cujus fere usque ad remota Orientis terror excesserat a die susceptionis Otto divino cœpit judicio reprobari, adeo ut hi quos ante securos mœnia non reddebant, congredi cominus ausi sint, et ei de prosperitate successuum insultare? Re vera digitus Dei est hic, dexteræ excelsi repentina mutatio parcentis adhuc et in ira corripere

differentis. Utinam saperet, et intelligeret, et novissima provideret, quia tot detrimenta præsentium quædam sunt indicia futurorum. Omnibus igitur ab initio rite perspectis, domini et patres mei, magna vos convenit exultatione gaudere, quod de omni carne singulariter estis ad hoc tempus electi, per quos fidei veritas, per quos forma justitiæ, per quos Ecclesiæ libertas inconvulsa servetur. Quod enim nos in hac vobiscum unitate consistimus, quod hæreticam pravitatem cum suo detestamur auctore, vobis debetur gratia, qui cœpistis, a quibus nos auctoritatem duximus et exemplum. Ipsi itaque duces nostri, ipsi re vera de fortissimis Israel estis, quibus lectulus Salomonis datus est, propter timores nocturnos fidelibus excubiis ambiendus. Ad vos, velut ad lucernam super candelabrum positam, Orientalis pariter et Occidentalis concurrit Ecclesia, sed ad insulas quæ procul sunt, sonus veritatis exivit, a quibus, tanquam a finibus terræ, plerique jam per discrimina multa venerunt audire sapientiam Salomonis. Licet enim nos plurima locorum spatia disjungant, caritas semper indivisa conjungit quos unus spiritus, una fides, una confessio dirigit ad salutem. In hac decrevimus vobiscum constantia permanere, in hac vobiscum vivendum est, in hac cum voluntas divina decreverit moriendum, quia neque mors, neque vita, neque aliquid unquam ab hujus nos sententiæ professione sejunget. Interim si domino nostro et vobis nostram non possimus præsentiam exhibere, aliqua tamen ex parte supplet devotio caritatis absentiam, quoniam venerabilibus patribus nostris sedis Apostolicæ legatis assistimus, cum eis toto studio sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatibus insistentes. In quibus tanta refulget Apostolicæ sanctitatis et doctrinæ perfectio, ut eis plus gratiæ merita contrahant, quam terroris

reverentia disciplinæ. Viri sunt, quorum sanctitatem miratur populus, sapientiam clerus usquequaque collaudat, ad virtutem severitatis Principes expavescunt. Ad summam, tanta omne opus suum mansuetudine temperant, ut neque severitas disciplinæ pereat, et in omni parte sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia convalescat. Porro super facto illo, in quo Regem Francorum adversus eos scandalizatum audistis, prorsus excusabiles sine omni dubitatione credatis, quia nunquam ad consensum dispensationis illius pertrahi potuissent, nisi eos inexpugnabilis necessitas, et inæstimabile bonum recompensationis illico pro venturæ traxisset. Convenerant siquidem ex mandato Regum venerabiles de regno utriusque personæ, ut de Romani Pontificis susceptione tractarent, de quo nihil adhuc publice fuerat constitutum. Stabant itaque fratres illi causam Ecclesiæ, non sine magno discrimine, prosequentes, quoniam apud plerosque favor iniquitatis convaluerat, adeo ut qui manifestæ repudium veritatis suggere non audebant, differendum potius, sæculari quadam astutia prædicarent. Eventum scilicet rei dubiæ potius expectandum, quam subjiciendam fortuitis cæsibus tantorum Principum majestatem. Non oportere eos temeritate nimiæ festinationis involvi, quos securius illæsos sola poterat expectatio conservare, Romanam Ecclesiam semper onerosam extitisse Principibus, jugum aliquando data occasione ponendum, donec cupiditatis pœnas ambitio detestanda luisset. Solvendum morte alterutrius quæstionis incertum, atque interim posse religionem Episcoporum per singula regna sufficere, donec divina voluntas signis evidentioribus appareret. Accedebat legatorum Imperatoris et Cardinalium, maledicti scilicet Johannis et Guidonis instantia, quibus dari videbatur de modica dilatione triumphus, si fratres

vestros vel ad modicum tempus quælibet occasio suspendisset. Præterea cum animos regum in favorem domini nostri omnium conscientia crederet inclinatos, in partes Imperatoris cessisse dilatione præstita crederentur, et paulo minus detrimenti suspicio, quam notitia forte veritatis afferret. Sed et Rex Francorum rei diffinitionem Regis Anglorum voluntati commiserat, nihil se facturum publice contestatus, nisi quod ipsius ei sententia prædictasset. Prævaluerat itaque consilium dilationis, ut quanto spatiosius, tanto utilius utrique Regi posset esse consultum, atque interim aliqua possent de ipsis eventibus auspicari. Quia igitur de arbitrio Regis Anglorum tota causa pendebat, exaudiendus erat potius quam severitatis alicujus austeritate terrendus, de cujus simplici favore in momento Francorum, Anglorum, Hispaniensium, Hiberniensium, et novissime etiam Norwegiensium, regna cœpistis. Sed et unde quis orituram super eo præsumpsisset offensam, quod ab initio pro bono pacis scripto etiam interveniente, Regum sanctitas, religio Præsulum, Principum fides, populi congratulatio devota firmavit, nec rei efficientiam communibus regulis, sed quod magis accelerari posset, Ecclesiasticæ potius indulgentiæ destinavit. Quod si quid de indulgentia contra easdem regulas constat esse delictum, nihil tamen criminis intercessit, vulnusque modicum totius operis sanitas asservata compensat. Hic certe zelus eorum, hæc fuit dispensationis intentio, quam non ultronea voluntas obtulit, sed importunitas necessitatis extorsit, quoniam si ea die sermo non fuisset consummatus in bonum, proculdubio fratres vestri repulsam diutinam vel perennem, sub dilationis imagine reportassent.

25. *Ad Henricum Pisanum Legatum Romanæ Ecclesiæ.*

Post discessum vestrum importunum tertianæ quater passus accessum, tandem ad medicinæ remedium salutare confugi, quod tamen paulo minus mihi molestum extitit, quam caloris intemperantia quæ præcessit. Habent enim medicinæ remedia nescio quid abominandæ malignitatis admixtum, et ne gratis conferant omne beneficium, semper adjuncto maleficio recompensant, ut etiam cum profuerint, indignius ulciscantur. Convalui tamen, et per gratiam Dei et merita vestra, jocunda mihi spes optatæ sanitatis arridet, portumque salutis nostra creditur anchora continere. Aliquæ tamen adhuc præteritæ passionis inhæsere reliquiæ, macies, et ægritudinis cognata debilitas, delicatus appetitus, cujus fastidio nulla copia, nulla satisfacere potest industria ministrorum. Ad recidivam medicus paratam dicit esse materiam, ideoque studium subtilioris observantiæ scrupulosus imponit, ruptisque labiis et lingua palpitante tanta potum tribuit parcitate, ut sitim potius irritare, quam compescere velle credatur. Illud enim hominum genus quadam austeritate semper notabili arti suæ reverentiam, sola severitatis exhibitione conquirit, et quasi de benignitate vilesceret, infamat omnia quæcunque miser patientis appetitus exposcit. Utinam, quod ad victualia pertinet, idem nobis usus et abstinentia præberetur, ut suspitionem communicatio tolleret, et fidem pietas compassionis augeret. Ad hæc defectum imperitiæ suæ culpæ semper ægrotantis ascribunt, ut æger et inedia pereat, et calumniæ contumelia crucietur. Denique ad mercedis augmentum sententiosis sermonibus incedentes, gratiam sibi misericordiæ divinæ præripiunt,

ut quod miseratio divina contulerit, do eorum videatur diligentia provenisse. Hæc ad præsens apud celsitudinem vestram incommoda nos excusent, quia si personam corporalis impotentia detinet, majestati tamen vestræ devotio caritatis occurrit. Causas quoque nostrorum, quæ interim in vestro sunt auditorio ventilandæ, commendamus attentius, ut in eis apud vos et amici diligentiam, et judicis inveniant æquitatem. Domino quoque Regi supplices pro nobis gratias exhibete, quod infirmitati nostræ tanta liberalitate compassus est, et æs alienum quod tam ipsius, quam alia qualibet occasione contraxeram, si secus accideret, regali suscepit munificentia persolvendum, fidemque devotionis nostræ, et sedulitatem laudavit obsequii, eaque sibi sæpius extitisse fructuosa cognovit. Dulcius et efficacius inter omnia medicamen accepi gratiam Domini mei, in opportunitate copiosius affluentem, cujus alacritas omnem protinus injuriam passionis exclusit: felicem me, inquam, si unquam inveniar accepisse non ingrate, quod tanta tamque facili mihi bonitate collatum est, si utilitatibus ejus et gloriæ datum mihi fuerit, totis facultatibus, toto studio, totis semper viribus inservire. Licet autem majestas beneficii modulum nostræ parvitatis excedat, dignissimus profecto dicendus est quisquis totum quod potest ad gratiarum congerit actionem.

26. *Ad eundem.*

In quo verbo Reges nostri de susceptione domini Papæ convenerint, vestra sapientia non ignorat. Et noster quidem ad Ecclesiasticas personas regni sui legatos destinavit in Angliam, cum literis quas a Domino Papa receperat, et scripto illo quod a schismaticis est de Papiensi conventiculo fabricatum, ut

scilicet utroque scripto tanquam allegationibus partium utrinque proposito, rectius possint, quasi de judicio formare consilium, et liquidius de contemplatione falsitatis oppositæ cognoscere veritatem. Cui sane colloquio, quia corporaliter adesse non potui, per Epistolam saltem interesse curavi, ut personæ vicem pagina suppleat, et vivæ vocis instantiam Epistola fidelis instauret. Cujus etiam Epistolæ transcriptum sanctitati vestræ censui destinandum, ut devotionem meam, quamvis parum utilem, officiosam tamen vestra dilectio recognoscat. De cætero, Librum Ennodii vobis mitto, alienum quidem, sed si experientia vestra probaverit, transcriptum cum quanta fieri poterit festinatione remittam. Ego autem librum illum non videram, priusquam mihi vestro fuisset assignatus judicio, visoque miratus sum qua primum ab auctore confidentia editus, aut quo postmodum ab aliis fuerit favore transcriptus. Neque enim mihi dignus videtur, cujus studio vel scripturæ tantum tempus debeat, sive census impendi, cum et volumen effusum sit, et ad intelligenda quæ scripta sunt singula multis et tædiosis oporteat iterationibus replicari. Prima siquidem facie difficilis et obscurus incedit, et cum rerum difficultatem stilus lucidior debeat aperire, intelligentiam potius sermo tenebrosus obtundit. Cumque multum habeat laboris inspectio, nihil habet assecutio voluptatis, quia nec absolutione sententia complacet, nec oratio venustate. Summa enim ejus intentio est, aliter omnia dixisse quam cæteri, ideoque totum quod loquitur exquisita quadam intricatione complicat et innodat, ut rectius Innodius quam Ennodius debeat appellari. Porro in metricis producta breviat, suaque nihilominus auctoritate brevianda producit, nullaque vitium falsitatis virtute redimitur, quia ipsum nec cultus

orationis, nec dignitas materiæ recompensat. Unusquisque tamen ad observandas propositæ legis tenetur angustias, dicendique libertatem necessitate supprimit quisquis se ad observantias hujusmodi arbitrio propriæ voluntatis astringit. Facilem vero duplex culpa veniam non meretur, cum et intellectum retundit obscuritas, et aures metricæ corruptio jocunditatis offendit. Credo ego librum hunc apud veteres nec notitiam habuisse, nec gratiam, ideoque nec in manus venisse multorum, sed sepultum diutius veteri quolibet armario latuisse, donec noviter in lucem merito obscuritatis et nova peregrini nominis admiratione processit. Sunt enim quidam, qui eo difficilia majoris æstimant, quia minus intellecta mirantur; ea minoris et tanquam puerilia reputant, quæ jucunda lucidi sermonis serenitas illustrat. Cæterum obscuritatem, tanquam tenebras evitandam, Seneca noster, et Tullius, et cæteri quorum scripta comprobantur, ostendunt. Julius quoque Cæsar vir illustris eloquentiæ, culpabiles esse denunciat, qui ea volunt loqui vel scribere, quæ homines mirentur potius quam intelligant, et se tanquam scopulum ita fugere insolens atque infrequens verbum. Legite tamen, ipsumque non de æstimatione mea, sed de vestra potius experientia judicate, ne meritis ejus ignorantia mea præjudicium irrogasse dicatur, ipsumque vestri favoris sententia defraudasse. Quod si irrefragabilem quæritis de prosa ferre sententiam, ipsam secundum versuum merita judicate, quia verum est ipsum pari peritia circa tempora syllabarum et dictionum naturam virtutemque versari. Valete.

27. *Ad Willelmum Cenomannensem Episcopum.*

Dominus Radulfus thesaurarius Rothomagensis amicus noster est, compertumque habet quod ego apud sanctitatem vestram jamdudum plurimam sim gratiam consecutus. Inde est quod nostra apud vos intercessione postulat adjuvari, quoniam in duobus se gravari conqueritur, super assignatione loci, quem vos ei et Domino Pictaviensi, ad agendum de causa quæ inter eos vertitur, assignastis. Cum enim civitas vestra in medio sit fere constituta, paulo tamen a Rothomagensi civitate remotior, vos eum quasi in occursum adversarii sui ad ulteriora loca trahere destinastis. In quo videtur ei quod affectio vestra in favorem oppositæ partis cœperit esse proclivior, quia statim ei de spatii distributione adeo propitius extitistis, ut adversario quadraginta tantum milliaria ad veniendum, et ei centum, ipsaque importuniora præfixeritis, ad eundum. Quod si ei censuistis pro Episcopali reverentia deferendum, id eatenus faciendum est, ne in onus aut præjudicium alterius liberalitas effusa procedat. Sic enim inter partes media debet esse judicantis religio, ut liberam de pari singulis exhibeat æquitatem, ne sententiam dictasse videatur affectio, sed justitia rationis instrumentis compensata formasse. Rogat igitur, nosque pro eo supplicamus attentius, ut locus eis ad agendum, facta æquius spatii distributione, Cenomannia, assignetur, aut citra, ut et nos interesse possimus, quia ob familiaritatem utriusque partis et gratiam, plurimam inter eos componendi fiduciam obtinemus. De alterius vero loci et temporis assignatione, de vobis conqueri pars illa non poterit, quoniam hic citatus semel pro simplici absentia condemnari non potest, donec secundo,

vel tertio etiam citatus fortasse sit, ut pro multiplici absentia de manifesta contumacia condemnetur. Valete.

28. *Ad Hugonem Rothomagensem Archiepiscopum.*

Super injuria, quam nobis infert Dominus Fiscannensis literas vestræ majestatis accepimus, continentes quod ipse nobis sacerdotem ad Ecclesiam illam de qua agitur per manum vestram consentit offerri. Et nos nimirum sanctæ et benignæ nobis diligentiæ vestræ gratias agimus, sed versuti hominis timemus astutias, ne hoc facto et prudentiam vestram circumvenire, et justitiæ nostræ præjudicium comparare disponat. Judicatum enim est inter nos, et a delegatis ab Apostolica sede judicibus imperatum, ut nobis ablata restituat, et excommunicatos ad satisfactionem venire compellat, sacerdotem offerat, per quem et Ecclesiam et populum nobis, tanquam pastori et Episcopo animarum suarum, faciat obedire. In quo si de alterius et non de ipsius manu suscipimus sacerdotem, non restituta nobis videbitur, sed sequestrata possessio, plurimumque hoc poterit partem nostram, cum de domino tractabitur, impedire. Sed nec ad obsequendum judicibus sola sufficit sacerdotis oblatio, nisi et ea quæ præscripta sunt nobis integre fecerit exhiberi. Si tamen ad præsens de ea inter nos compositione tractaretur, quæ omne in futuro litigium tolleret, possemus ad omnem temperantiam consilio vestræ paternitatis adduci, sed adversario ad pugnam se totis viribus accingenti vires addere, non est imprudentis tantum hominis, sed insani.

29. *Ad Sanctum Thomam, dum esset Regis Angliæ Cancellarius.*

Venerabili et dilecto amico suo Thomæ illustri Regis Anglorum Cancellario, Arnulfus, Lexoviensis ecclesiæ minister humilis, salutem et plurimam dilectionem.

Literas vestræ dignationis accepi, quarum singula verba mihi visa sunt stillare dulcedinem et suavi sinceræ caritatis melle manare. Gavisus sum salvam mihi esse apud vos prærogativam pristinæ familiaritatis et gratiæ, nec eam demigrasse locorum distantia, nec frequentibus negotiis expirasse. Gavisus, inquam, quia post epistolam vestram nulla potuit residere dubietas, cujus majestatem nequaquam convenit vel vitium falsitatis incurrere, vel in adulationis vilitatem descendere. Vivit autem vobis apud me nihilominus veræ dilectionis affectus, quem etsi frequens operis exhibitio non illustrat, supplet tamen sibi conscia promptæ devotio voluntatis. In amicitia etenim sola animorum voluntas exquiritur, nec crementi patitur quæstionem ne prostituta possit vel mercenaria reputari.

Sic namque in sua per se puritate consistit, ut in ipsa operum exhibitio non nisi vicem accessionis obtineat et sequelæ, nec rebus fortunæ tenetur obnoxia, suam sibi per se tribuens et retinens dignitatem. Quod adeo verum est, ut inter divites rarior semper soleat inveniri, et plane quasi divitiarum multiplicitatem exosa simplicitati paupertatis videtur securius inhærere. Rara est eoque pretiosior, nusquam tamen rarior quam inter eos, qui ad principum tractanda consilia et negotia disponenda vocantur. Ut enim cætera taceam, sollicita mentibus eorum dominatur ambitio, dumque alter alterius metuit studio præve-

niri, procedit invidia, quam in odium statim converti necesse est. Hic etenim est mos vetustus invidiæ, ut successus alienos suum judicet detrimentum sibique sublatum reputet quicquid ad commoda cesserit aliorum. Torquetur igitur mentisque tormentum contracta vultus hilaritate dissimulat, et obscuram fallacibus blanditiis induit simultatem. Porro si adversus quempiam favor principis fuerit immutatus, eumque ceperit oculo severiore perstringere, omni statim solatio destitutus egreditur is, quem sodalium gratia, quem applausus, quem denique sedula omnium obsequia frequentabant. Insultant quorum compassionem sperabat ad omnia, et veteres occasionem nacti requirunt injurias, ipsaque beneficia sinistra constanter interpretatione deprivant. Hoc mare navigatis: in hac vos oportet vivere tempestate, in qua vos quoque Sirenes timere oportet, subitos applaudentium risus et melicas adulantium cantilenas. Inter quæ omnia, una vobis sit evadendi fiducia, quum sinceritas fidei, quum honestæ operationis integritas potiusque de testimonio conscientiæ vestræ cum Apostolo gloriam quærite quam alienæ linguæ lubricum vel vulgaris estimationis redimatis incertum. Hæc enim majori quam veniant pernicitate prætereunt, illa quamvis ingratum quandoque sortiantur accessum, felici tamen semper exitu gloriantur. Hæc autem vobis scribo non ut Minervam, ut aiunt, literas doceam, sed cum amico loquens sermonis cursum retinere non potui. Præsertim quum congratulantis animi quasi quædam lascivia perurgeret, Dominum Serlonem fidelem nostrum cum paucis modicisque negotiis quæ portat, caritati vestræ commendo: hoc scilicet adjuncto ut sub absentia mea gratiam principis quam officiosissime merui, vestra mihi diligentia conservetur, quoniam apud juvenem sine admonitionis

pabulo diu non poterit vivere, quin expiret. Bene semperque vale.

30. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Grata mihi refulget occasio, multis expectata temporibus, multis artibus exquisita, videndi scilicet faciem Domini mei, et matrem meam sanctam Romanam Ecclesiam visitandi. Jocundum est me quibuslibet offerre periculis, quibuslibet inferre laboribus, ut merear aliquando frui desiderato vestræ serenitatis aspectu, et jocundo sacri sermonis alloquio recreari. Iturus alia vice fueram destinandus a Principe, sed importuna me bellorum emergentium retraxit invidia, quibus transigendis studium diligentiæ meæ, cum necessitas Ecclesiæ, tum Reipublicæ requirebat utilitas. Quod siquidem iter desiderio magis quam imperio mandantis assumpseram, ut impetrata potius quam injuncta legatio videretur. Nunc autem compositis omnibus non missus, sed sola devotione ductus, advenio ad exhibendum bene placito domini mei corpus et spiritum, ad impendendas utilitatibus vestris omnes tanquam ex debito peculii facultates. Attamen ut veniam, oportuit me causas quasi necessitatis inquirere, quia nequaquam mihi patuisset egressus, nisi aliqua crederer importunitate compelli. Cum enim principi nostra semper sit officiosa præsentia, non tam me devotioni meæ morem gerere, quam ad publicas utilitates et sua vellet obsequia retinere. Cum autem venero, facile comparebit quid ascribi devotioni, quid necessitati debeat imputari. Venio igitur non ex animo quidem, sed tamen verbo tenus impetrata licentia, si nolui mihi de silentio ipsius facere quæstionem, quoniam et si non facies oculis, votis tamen oratio respondebat, nec abjicienda

videbatur occasio, quæ tanto desiderio quærebatur. Venio, inquam, non insidias hostium, non itineris difficultates, non aeris intemperiem, non injurias maris attendens, ea certe fiducia, quoniam merita vestra præcedent faciem meam, et, Deo volente, de omnibus locis obstantia quælibet amovebunt. Interim indicandum vobis censui compositæ necessitatis astutiam, quæ me a Regiis occupationibus reddidit absolutum. Reportaverunt Sylvester Thesaurarius Ecclesiæ meæ, et Johannes Nepos Sagiensis Episcopi ad Cenomanum et Abrinconensem Episcopos literas a sede vestra, super quibusdam causis adversus me absque omni appellationis remedio terminandis. Quarum cognitioni dominum Willelmum Parisiensem, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, contigit interesse, ipsoque præsente prædictus Thesaurarius omnes querimonias quas habebat refutavit in manibus judicum, et quod eas adversum me deinceps non moveret fide corporaliter interveniente firmavit. Ego autem ei eorum intercessione gratiam reddidi, et licet ingratus manifestusque calumniator in omnibus appareret, delictum omne ea quæ plurimum inter necessitudine junctos vertitur, facilitate remisi. Verum Joannes, cum hinc inde rationibus diligenter auditis contrariam sententiam reportasset, ad solatium confusionis suæ magis, quam ad causæ remedium, sedem Apostolicam ad Kal. Februar. appellavit, licet de medio omnem appellandi licentiam, eo quod ipse a vobis reportaverat oraculo sustulisset. Cum itaque rebus judicatis standum sit, præsertim ubi nulla possunt appellatione suspendi, certum est quia ad refricationem rei judicatæ nulla me necessitatis trahit instantia, sed optatam duxi de appellatione materiam, ne vestram scilicet viderer reverentiam neglexisse, si provocatus ad vestram præsentiam non venis-

sem. Cæterum quia tot pericula fallere temeraria festinatione non possum, oportebit me fortassis ad complanandos transitus, et præparationem securitatis, spatiosum tempus impendere. Ideoque si Johannes ille prævenerit, bonum vobis erit et utile, ut ipsum usque ad nostrum detineatis adventum, quia avunculum ejus et ipsum in personam vestram et statum totius Ecclesiæ gravissime deliquisse, manifesta vobis veritate constabit.

31. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Si ad vestrum literæ pervenere conspectum, quibus ego majestatem vestram studui præmunire, super zelo quem ad removendam de Ecclesia sua religionem, Sag. intendit Episcopus, miror admodum, multique mirati sunt, quomodo factum hujus modi, scriptumque publicum super eo facto vestræ potuit subripi sanctitati. Quid enim? Episcopalem Ecclesiam miserabili paupertate damnatam, religiosus Episcopus reditibus, ædificiis, ornamentis, et ea ad quam plurimum intendebat religione fundaverat, ipsamque de paupere divitem, prædicabilem de obscura: de ignobili, si dici fas est, fecerat gloriosam. Quod factum tota sane partium nostrarum venerabatur Ecclesia, omnisque ubique religio commendabat, siquis vel effusam in omnes caritatem, vel ordinis vellet attendere disciplinam. Nec ab ipso tantum hoc, sed multarum venerabilium personarum studiis, multarum fuerat auctoritate perfectum, quoniam ad studia laborum ejus prospera semper optati proventus auspicia concurrebant, adeo ut ad constitutionem Ecclesiæ illius contendere virtus et fortuna viderentur. Exultabat Apostolica sedes, quod prima tantæ religionis fundamenta jecisset, quod promotionem ejus con-

tinuo fovere non destitisset auxilio, quod consummationem ejus privilegiis, et valituro in perpetuum anathemate communisset. Omnibus siquidem privilegiis ejus in perpetuum vice salutationis invenitur ascriptum, quo manifeste voluntas declaratur auctoris, quod id stabile fore voluerit, non alienis reliquerit arbitriis immutandum. Res quippe transitoria titulo perpetuitatis non meretur inscribi, quoniam quæ taliter inscribuntur, vel perseverantiæ statum retinent, vel tituli falsitatem. Quod autem dicitur prædecessorem successori suo legem dare non posse, vel præcise falsum est, vel omnia possunt impune sanctorum patrum instituta convelli, quorum tamen sapientiam narrant populi, quorum laudem Ecclesia nuntiat, et sepulchra eorum frequentibus miraculis gloria magnificentiæ cœlestis illustrat. Privilegia siquidem Romanorum Pontificum, quasi quædam ipsorum testamenta credenda sunt, nec a morte testatoris exspirant, sed potius ab ipsa contrahunt firmitatem, nec defectu personæ sublata perit auctoritas eorum quæ religiose semel instituta noscuntur. Nos tamen errores prædecessorum a successoribus posse corrigi non negamus, et ipsorum etiam in melius posse bona mutari, ubi major scilicet mutationem suadet utilitas, nullumque sentit religio detrimentum. In præjudicium siquidem religionis nihil agendum est, cui quicquid adversatur divinæ constat contrarium esse voluntati. Qua nimirum ratione sæculares Canonicos quos appellant, pro regularibus inducendis vidimus amoveri, licet Ecclesiæ eorum in eo statu aliqua sedis Apostolicæ privilegia meruissent. In quibus constat adversus privilegia nihil esse commissum, in quibus auctoris animum potius contemplari convenit, quam apices amplexari, quoniam in nullo voluntas ipsius offenditur, ubi voluntatis in-

tentio fidelius observatur. Si quid autem humanius fuerit institutum, quod etiam sedis Apostolicæ scripta confirment, eo nec perfectionis provectus excluditur, nec devotioni terminus assignatur. Semper enim in anteriora libere debent studia sanctitatis extendi, sicque oportet interpretari quæ scripta sunt, ne nostris videantur processibus invidere, quia tunc recte suus minori bono favor impenditur, cum nequaquam boni majoris incrementa tolluntur. Ecclesia enim eos qui ad superiora desiderio perfectionis aspirant, non permittit occasionibus impediri, quin libero erumpant ad majora consensu, sicque primæ imperfectionis privilegia removet, ut gratiam novæ perfectionis amplectens, vetera novis non tam videatur solvere, quam implere. At vero sacras veterum institutiones in deterius devocare non convenit, nec auctoritatem præbere defectus, ut inde fomenta comparentur audaciæ, unde timeri debuit severitas disciplinæ. Plane sunt quædam quibus, ut fiant, consensum adhibere non licet, quæ tamen si facta sunt, dissimulare necesse est, quia non possunt habere remedium: vel si quid recompensationis habent discreta mansuetudine dispensare. Culpam tamen indulgentia prævenire non debet, ne securitas alat audaciam, et ad delinquendum fiducia remissionis invitet. Debet ergo severitas prohibitos cohibere conceptus, ne temerario compleantur effectu, debet nihilominus excessus illicitos congrua animadversione punire, nisi reum vel violentia potestatis eripiat, vel pœnitentia temperet disciplinam. Tunc enim in potestate judicis est mollire sententiam, et mitius judicare quam leges, cum rerum vel personarum merita postulant, aut instantia necessitatis extorquet. In æstimanda tamen necessitate non convenit pusillanimes inveniri, ne virtuti subduxisse

materiam, vel de divina videamur gratia desperare. Scio quosdam dispensationum prodigos tantæ benignitatis existere, ut nihil reservent legibus, affectibus omnia largiantur, nec offensam rationis attendunt, dum hominum sibi præcavisse videantur offensam. Metiuntur igitur affectatos de prærogativa potentiæ suæ, potius quam de merito rationis effectus, et nomine necessitatis indulgentiam quamlibet excusantes, divinæ gratiæ bonitatem non sustinent experiri, sed humanum favorem præ omnibus auspicantes, fugaces auras et inanes ventos studiis fallacibus amplectuntur. Quieti scilicet Ecclesiæ providere se prædicant, cujus prostituunt libertatem, et majestatem redigunt in contemptum, quæ tamen in virtute sanctorum debet apparere terribilis, ut castrorum acies ordinata. Solebat siquidem terribilis supremis potestatibus imminere, earumque patienter expugnare potentiam, dum tribulationibus constanter exposita, liberationem non nisi de liberatore pauperum expectabat. Liberat enim Dominus pauperem a potente, et inopem cui non comparet adjutor, quoniam fidelis est, neque vires nostras patitur viribus tentationis excedi, sed facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere. Verumtamen nos gratiam istam pusillanimitate desperationis excludimus, quoties desperato virtutis effectu humanis favoribus inclinamus, et accelerato veritatis justitiæque naufragio salutaris experientiæ præpedimus eventum. Oportebat magis secundum doctrinam Psalmistæ, sperare in Domino et facere bonitatem, quoniam non derelinquit sperantes in se in tempore tribulationis, et in die superborum sine adjutorio. Oportebat in mandatis ejus et justificationibus exerceri, non statim manus imbelles captivandas offerre, quia non potest sequi sine concertatione victoria, nec corona sine

legitimo certamine provenire. Lex autem certaminis est, uti viribus, virtutem patientiæ et longanimitatis amplecti, non inter initia trahi favoribus, et desperato divinæ bonitatis auxilio cedere, quoniam qui sperant in eum non confundentur: qui autem hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Nonne utilius erat ipsam hominum gratiam de divina bonitate sperare, et non ei de divinitatis offensa parare materiam, cum corda etiam Regum in manu Dei sint, et ea quo voluerit, inclinabit. Ad hæc experimento didicimus divino quodam judicio sæpius evenire, quod hi qui ob affectationem favoris humani reverentiam divinæ majestatis offendunt, divinæ quidem dispendium faciunt, sed humanam quam affectaverant minime consequuntur. Sicut enim disciplina cautelam, sic insolentem pronior indulgentia creat audaciam, gratuitumque liberalitatis alienæ beneficium suorum reputant præmia meritorum, ipsumque quandoque beneficium putant injuriam, quod minoris propria existimatione fuerint æstimati. Quod ego vobis in hoc facto vereor accidisse, sicut sanctitati vestræ post modum evidentibus liquebit indiciis, cum ad aures vestras veridica relatione pervenerit, quanta malignitate et audacia prædictus Episcopus infirmitatem status vestri publice prædicaverit, et ostium Ecclesiæ victoriam rediens dixerit imminere. Extant qui audierunt per quos vobis hæc et alia maligniora suo tempore plenius innotescent, ut nulla fidem veritatis suspicio debeat impedire. Loquar tamen interim ad Dominum meum, utinam complaceant ei eloquia mea. Loquar, inquam, quia apud eum mihi sermo est, apud quem non eget vel intercessore religio, vel justitia defensore. Domine quotquot ordinis illius observantiam profitentur aut diligunt, per omnes Gallorum Ecclesias et Anglorum,

audito hoc verbo scandalizati sunt, quærentes quid antecessorum vestrorum, quid denique vestrum tam recens solverit anathema, cum nulla vis necessitatis appareat, nec tanto vulneri remedium aliquod aliqua recompensatione videatur afferri. Omnes reditus et omnes obventiones archidiaconatus illius, quæ ad communes usus regularium fratrum fuerant assignatæ, sine causæ cognitione sublatæ sunt, atque unius personæ ipsiusque sæcularis sumptibus attributæ. Quærunt igitur de jure quod suum est sine judicio spoliati, subductoque quod pauperibus solebat erogare religio, nihil se præter vacuas manus exhibere deplorant. Procedit interim inter cilicia pauperum fratrum et sordes, chartularii filius sericis adornatus et variis, quem ipsi invisæ dissimilitudinis animal intuentes, quasi seminarium quoddam revocandæ sæcularitatis tacitis, quod solum audent, animis execrantur, condemnant. Auget metum quod alius adhuc vacans archidiaconatus in eadem servatur Ecclesia, minori nepotulo conferendus, quam cito in legitimam ætatem videbitur excrevisse. Præterea Priore claustri remoto, quia acrioris ingenii credebatur, et ad injurias Ecclesiæ non silebat ex conscientia, Episcopus Priorem constituit idiotam, ut ipse scilicet locum suppleat idiotæ, et bona eorum in usus proprios sine contradictione convertat. Agite ergo, et Apostolicam vobis domesticæ severitatis revocate prudentiam, ut quod sanctitati vestræ subreptum est, ipsa sanctitas vestra reducat ad formam, quatenus sanctæ institutionis reformetur integritas, et ad vires pristinas tam vestra quam prædecessorum vestrorum privilegia convalescant. Sic enim obstruetur os loquentium iniqua, et in laudem et gloriam nominis vestri fideles vestri libertate solita proclamabunt, et exempli terrore sublato status Ecclesiæ tranquillitate pristina

conquiescet. Timeo ne audacius forte loquutus sim, quam vestræ debuerim majestati, sed me sanctæ opinionis vestræ zelus impulit ad loquendum, et Ecclesiæ illius indigna contritio, cui multis ex causis ab antiquo sum plurima caritate devinctus. Scio quia acceptior erit in auribus vestris diligentis devota præsumptio, quam fallax assentatio blandientis.

32. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Quoties aliquis apud majestatem vestram humilitatis nostræ precibus expetit adjuvari, honestatis et justitiæ diligentius habendam considero rationem, si personam honestas, vel causam videatur justitia commendare. Hæ etenim duæ virtutes sunt quas apud excellentiam vestram nullo patrocinio novimus indigere, quibus ultro gratiam exhibetis, cum altera vos in præconium, altera mundo proposuerit ad exemplum. Hoc nimirum prætextu pro P. Pictaviensi Archidiacono precaturus accedo, quem Ecclesiæ suæ utilem perhibent tum sedulitas officii, tum beneficentia in subjectos, tum bonitas in consortes, tum denique circa Ecclesiam suam novarum amplificatio facultatum. Idcirco si causæ ipsius qualitas inquiratur, id juris se in quodam Archipresbyteratu suo contendit habere, quod tam ipsi quam omnibus aliis Archidiaconis in omnibus Archipresbyteratibus suis vetus Ecclesiæ illius consuetudo confirmat. Porro supervacua videtur quæstione vexari, cum sola sit de sola Archipresbyteri electione contentio, cum ab Archidiacono facta ad Episcopale de consuetudine referatur arbitrium, eamque potest auctoritate sua, nisi fuerit idonea, reprobare. Cæterum si eo invito in Archidiaconatu ejus Archipresbyter fuerit institutus, plurimum utilitatibus ejus et honori constabit esse sub-

tractum, cùm ei in Archidiaconatu suo alius quodammodo Archidiaconus annascatur.

33. *Ad Thomam Cantuariensem Archiepiscopum.*

Carissimo domino suo Thomæ Dei gratia Cantuariensi Archiepiscopo et totius Angliæ primati, Arnulfus Lexoviensis ecclesiæ humilis minister, salutem et debitam cum plurima devotione reverentiam.

Literas beatitudinis vestræ tanto majori suscepimus hilaritate, quanto eas ex uberiori pinguedine caritatis novimus processisse. Præter illam namque purissimam quam ergo nos habetis affectionem, quandam vitæ novitatem zelumque justitiæ redolebant, adeo ut singuli apices pristinæ magnificentiæ vitæque novitatis dulcedinem stillarent. Sic ergo statum susceptæ dignitatis ab eo qui vos elegit temperari petimus, ut magnificentiam vestram sanctitas non adimat, nec magnificentia minuat sanctitatem, sed æquis concurrant passibus, et ad divinæ formam santificationis Christi sanctificent et glorificent sacerdotem. Sanctitas enim et magnificentia in sanctificatione ejus; nec magis una quam altera, nec una quantum non altera, sed sicut semper ita et pariter sempiternæ Deitatis illustrant et clarificant majestatem. Repleta est igitur anima mea jucunditatis interioris adipe et exterioris pinguedine, dignum ad dignitatem videns evocari, quem plurimis experti sumus indiciis zelum habere et peritiam sibi subditos gubernandi; quia profecto "propheta magnus surrexit in nobis et Deus visitavit plebem suam." Imperabitis mihi tanquam vestro, quoniam tam in persona quam facultatibus parati sumus universis vestris voluntatibus obsequi et utilitatibus deservire. Valete. Hæc autem scripsi vobis in hac brevitate, non ut vestræ rescriberem

majestati, sed ut sciatis nos et nuncium vestrum vidisse, et vestræ dignationis literas suscepisse.

34. *Ad Sanctum Thomam Cantuariensem Archiepiscopum.*

Venerabili et Dilecto Domino, et Patri suo Thomæ, Dei gratia Cantuariensi Archi-Episcopo, ad prosperitatem et salutem Spiritu consilii et fortitudinis pervenire.

Magnam mihi lætitiam Dignationis vestræ literæ contulerunt. Quibus diligenter siquidem ter iterata lectione perspectis nihil inventum est, quod non aut humilitatem saperet, aut zelum Justitiæ redoleret. Placuit mihi zelus vester, quia ipsum robusta commendabat humilitas, mutuoque sibi invicem favore zelus et humilitas concurrebant. Sic enim oportet ut humilitas fervoris incendia temperet, et humilitatis modestiam zelus excitet et accendat, ne aut in pusillanimitatem descendat humilitas, aut in furorem zelus incidatus excedat. His igitur sese invicem mutua caritate complexis intellexi tertiam duabus accessisse constantiam: Quæ sanctis initiis lætos exitus, et felices forti patientiæ repromittit eventus. Hæc siquidem in vobis nec damna nec labores attendit, sed omni studio sinceræ conscientiæ testimonium quærens, fortunæ simul et personæ naufragium minoris æstimat, quam justitiæ vel virtutis.

Arbitrabantur aliqui, quorum malitia consuevit de aliena conscientia divinare quod nescit, opus vestrum de superbia, non de virtutis procedere veritate: affectare vos pristinos Cancellariæ mores in hac quoque dignitate servare, ut nullus potentatui vestro, nullus audeat resistere voluntati. Gloriosum vobis fore, si

procedentem olim de lubrico voluntatis alienæ potentiam vestro possetis nomini vendicare, cum rectius Ecclesiasticæ dignitati reverentia debeatur, quam officio sæculari. Sublimatum enim vos, et ad altiora Divina bonitate provectum, nec jam vos scabellum pedis, vel lateris etiam conservare consessum, sed ipsius diademati capitis imminere, quod scilicet adeo de vestra auctoritate pendeat, ut ipsius ad nos principaliter assignatio, et assignationis consignatio debeat pertinere. Idcirco sane vos inter initia Regalibus obstitisse Mandatis, ut in ipso crederetur universitas expugnata, cum nulla relinqueretur aliis fiducia resistendi, ubi regia non possent imperia prævalere. Addebant vos inter Amicos aliquando dixisse, non fovendos in Principe inconsultos elatæ juventutis affectus, sed statim viriliter intemperantiæ resistendum, ne dissimulatio creet audaciam, vel insolentiam indulgentia prona confirmet. Notos vobis esse omnes Regalis animi motus, quid levitatis habeat, quid virtutis audeat attentare ipsumque prudentiæ tuæ magnificentiam nihilominus agnovisse, quam toties in opportunitatibus utilem, et in difficultatibus expertus sit efficacem. Non repudiandum ab eo blandis adulatorum fallaciis consilium salutare, quo consueverit fulcire nutantia, complanare scrupulos, obstantia dimovere. Quæ verba cum ad Regis notitiam malignitatis invidia detulisset, asserebant irrevocabiliter indignatum dixisse, quod totis utendum esset viribus, totis artibus obsistendum, quoniam ei de dignitate contentio parabatur. Impossibilem fore concordiam, quoniam neque vos destinata dimittere, nec ipse quidquam vellet dignitati Regiæ derogare. Igitur de incerto opinionis, et malignitatis invidia procedente judicio, variæ dissidentesque sententiæ ferebantur.

Porro jam processu temporis omnis est sublata dubietas, propositique vestri sanctitas evidentibus argumentis innotuit, adeo ut boni certe compatiantur et gaudeant, et debita cœperit operire confusio malignantes. Certum est hoc, et luce clarius apud omnes existit, minoris reputasse vos divitias quaslibet, et perceptæ fastigium dignitatis, quam justitiam quæ ex Deo est, et gloriam Ecclesiasticæ libertatis. Si enim favori Divino favorem præferretis humanum, et ad inducendos profanæ novitatis abusus vestra consentiret auctoritas, poteratis non solum cum summa tranquillitate degere, sed ipsi etiam magis, quam olim, principi conregnare. Quod autem vestra familiarius interesset, vestro temperaretur arbitrio, et exposito sanguine cæterorum domesticus status vester ex omni parte servaretur illæsus. Verum Sanctitas vesta debitum Episcopalis officii recognoscens maluit interim sequestrare potentiam, facultates exponere, ipsamque personam quibuslibet injuriis offerre. Evangelicum siquidem illud fideli memoria retinetis, summi Pastoris doctrina proditum, et firmatum exemplo, quod pro ovibus et fratribus nostris debeamus animas ponere, non de ipsorum detrimentis detestabilem lucri materiam comparare. Poterat autem onus distributione levari, si caussa communis communi tractata consilio, communi suffragio niteretur. Firmatam quippe concordia spiritus unitatem verum est vexationibus posse concuti, nulla tamen improbitate convelli. Igitur invalescente malitia, qui ad tempus crediderant, tentationis tempore recesserunt: ducisque sui non tantum facti sunt desertores, sed in castra hostium facto transfugio concesserunt. Si vero cœptis perseverantes insisterent, et quoslibet patienter experirentur eventus, in semetipsam vehementia collisa recideret, et conceptos

immanitas desperata refrœnaret affectus. Sed ubi pertractatis animis singulorum, communi caussæ privata prævaluit, desperatio resumpsit audaciam, et sepultas spes rediviva suscitavit denuo quæstiones. Verum tergiversantibus, immo prævaricantibus universis, ad standum ex adverso, et opponendum se murum pro domo Israel, virtutis vestræ magnificentia sola relicta est, quæ redemptam semel Sanguine Christi, suo iterum sanguine redimat libertatem. Licet enim nondum usque ad sanguinis effusionem caussa pervenerit, supplet tamen devotio meritum passionis, quæ personam vestram minis et terroribus non solum exposuit, sed objecit.

Et cum prorsus incredibile sit ipsum in vestram aliquid crudelius excogitasse personam, tamen non satis poterat inter tot indignationis motus bonitas abscondita divinari: Præsertim cum omnium rerum signa in vestram viderentur perniciem convenire. Speravit siquidem vos ad obsequendum terroribus inclinare, tantoque severius terrendum censuit, quanto a majori læsione censuit abstinendum. Denique si vestrum voluisset impedire discessum, non serenitas aëris, non ventorum gratia, non tranquillitas maris, non vos nautarum industria deduxisset. Ubique enim vobis manus Regiæ potestatis occurreret, cujus nec diligentia falli poterat, nec potentia circumscribi. Sed et quamdiu domestica vos complectentis Insulæ brachia continerent, neque vobis tanta nocendi pateret occasio, nec tanta invidiæ materia garriendi. Nunc vero quibuslibet querimoniis silentia vestra præponderant, et quolibet improbior est fuga vestra congressu, dum vobis favorem publicum modestia vestra conciliat, et ipsum efficacius apud opinionem publicam typo quodam excusantis accusat. Mallet igitur, si animum ejus severior induravit affectus,

præsentem frequentibus vexare molestiis, quam ad indulgentiam qualibet impunitate compelli. Mallet, si mitius aliquid quandoque proposuit, ut id liberalitati ejus in beneficium, quam patientiæ vestræ cederet in triumphum.

Ad summam frequenti vobis consideratione tractandum, quæ vestra caussa sit, quis adversarius, quæ parti vestræ studia suffragentur. Et caussæ quidem Justitia manifesta est, quoniam pro Ecclesiæ Dei libertate contenditis, quam ille semel in cruce liberator evicit, et redemptam impretiabili pretio universis, qui ipsius nomine censentur, reddidit uniformem. Sicut enim una fides est, una est et libertas, quam identitas sacramentorum et operantis omnia Spiritus simplicitas consecrat et confirmat. In hoc quippe consistit unitatis Ecclesiasticæ mirabile sacramentum, quod sicut una fides est, unus Spiritus, et unum baptisma, ita est unum manu-missionis perpetuæ testamentum, quo nos Divinæ bonitatis adoptio non tantum liberos efficit, sed etiam cohæredes. In quo quoties libertati detrahitur, constat fidei nihilominus derogari: Quoniam mutua sibi invicem ratione connexæ eadem semper et dispendia sentiunt et proventus.

Porro adversus eum vobis agendum est, cujus astutiam remoti, vicini potentiam, severitatem subditi reformidant. Quem adeo crebri successus, et fortunæ gratia fecit delicatum, ut quidquid non obsequitur, ducat injuriam. Quem quanto moveri facilius, tanto sit difficilius mitigari. Apud quem temeritatem non fovet impunitas, sed indilatam delictis irrogat ultionem. Verum humilitati et patientiæ præstat se quandoque tractabilem, viribus non sustinet expugnari, sed ut plane quicquid fecerit, de voluntate videatur, non de impotentia provenisse. Quærit enim

potius gloriam, quam proventum. Quod in Principe posset satis commendabile reputari, si gloriæ materiam virtus et veritas, non vanitas et dulcis usque meretricium adulatio compararet. Magnus est, multorumque maximus: Quoniam nec superiorem habet qui terreat, neque subditum qui repugnet. Nec alienis extrinsecus pulsatur injuriis, quibus ab innato domesticæ feritatis mansuescat affectu, sed omnes qui adversus eum contentionis caussas habent, potius ad vanæ pacis fœdera peritura conveniunt, quam ad virium experimenta decurrant. Quoniam divitiarum copia, multitudine fortium, amplitudine potestatis excedit. Quod sane contemplati, quorum ope niti, quorum muniri consilio, quorum fulciri suffragio debuistis, a vobis velut facto agmine discesserunt, qui maxime nominis sui rationem deberent agnoscere, et se vobis Suffraganeos exhibere. Utinam pristinæ professionis suæ memores exstitissent, quæ completa semel in seriem totam futuræ successionis extenditur, et nova succedente vetus semper in id ipsum obligatio reformatur. Hi sunt qui ad caussam vestram, immo caussam Christi, per omnia discrimina prosequendam tenebantur obnoxii, si Ordinis sui debitum, et detrimentum Ecclesiasticæ libertatis attenderent. Sed qua fide, qua caritate vobiscum, immo cum Deo cœperint ambulare, vidistis: Quia in necessitate vestra nec utendum dissimulatione, nec sermonibus temperandum, nec parcendum contumeliis censuerunt, sed totis studiis sese invicem prævenire certabant, ut unusquisque vos vel magis odisse crederetur, vel in nihilo pepercisse.

Mirabatur Romanus Pontifex, et hi penes quos cum eo summa disponendæ Ecclesiæ cura consistit, quod oves in Pastorem, quod in Patrem filii, quod in seipsos denique tanta vehementia gladios contorque-

rent. Si enim potuissent efficere quod quærebant, nec ipsum libertatis nomen, nec spes libertatis aliqua resedisset, sed tanta jam regiminis Ecclesiastici fuisset secuta confusio, ut nihil ordine tractaretur, sed omnia stolido permiscerentur errore, cum sublatis pristinis institutionibus nihil ad debitos suo jure dirigeretur effectus. In his igitur, quantum mihi videtur, non nisi inanem vobis potestis collocare fiduciam, quia fidelem reconciliationi operam non impendunt, qui caussam dissidio præstiterunt. Reliqui vero fere omnes qui in inferioribus sunt gradibus constituti, personam vestram sinceræ caritatis brachiis amplexantur, altis, sed in silentio, suspiriis implorantes, ut sponsus Ecclesiæ ad gloriam sui nominis felici vota vestra secundet eventu. Nullus tamen est qui se vobis amicum audeat confiteri, sed quo magis odisse credantur, veteres inimicitiarum caussas allegant, ne indicta, velut in cæteros, proscriptione damnentur. Fertur enim de suspicione sententia, nec ad irrogandam pœnam veritatis argumenta quæruntur, sed involvuntur equitate supplicii, quos culpa non æquaverat qualitate delicti. Profecto gratissima vobis eorum debet esse compassio. Quia licet animos sublimium vota minorum non moveant, indignationem tamen Divinæ etiam Majestatis expugnant, ut tanto fiat ad indulgentiam pronior, quanto ab humiliori fuerit reverentia supplicatum. Respicit enim in orationem humilium. Caussam etiam potius reputat quam personam, ut caussæ semper Justitia sua, quantumcumque dilata, respondeat, et personæ nihilominus merces meritis compensata concurrat. Eorum igitur apud Deum vobis poterit prodesse devotio, sed apud Regem, sicut nullam impetrandi fiduciam habent, sic nullam audaciam supplicandi.

Ad hæc si studia procerum ducitis inquirenda,

certum est eos adversus Ecclesiam Dei quasi fœdus invicem contraxisse, ut utilitates ejus semper impediant, et dignitatibus incessanter obsistant. Quia totum sibi reputant deperire, quidquid ejus vel honori vel proventibus viderint accessisse. Instant alacrius, eo quod eis grata de temporis opportunitate refulget occasio. Quia vires eis Regiæ suffragantur, quibus prædicant se in his ad statum Regni conservandum fidelem diligentiam adhibere. Aiunt enim prædecessores ejus nec tantas vires, nec tantam potestatis amplitudinem habuisse, nec oportere eum indignius regnare, vel remissius operari. Dignitati magis quam utilitatibus intendendum. Cum plerumque cupiditatem lucra redoleant, dignitas semper reverentiam augeat, et gloriam majestatis illustret. Attribuunt ergo dignitati, quidquid olim de potestate constat esse præsumptum, licet illud nec fidei concordet, nec rationi conveniat, nec consentiat æquitati. Ille vero avidius, quam expediret, blandos adulantium sermones amplectitur, fidem reputans quod nihil aliud quam dolum malignitatis esse, novissimo deprehendet effectu. Si quis enim eorum altius vota discutiat, intelliget, quia callide sibi gratiam ejus, et ipsi laboris ac detrimenti materiam præparant in futurum. Ad hoc totis anhelant desideriis, totis artibus elaborant, dummodo eorum non innotescat intentio: Ut scilicet ejus quandoque potentia reprimi possit, ipsisque vetus delictorum impunitas, et nova delinquendi licentia reparetur. Horum quanto promptior est malignitas, tanto est efficacior ad nocendum: Quia eis familiaritas occasionem præstat, et auctoritatem excellentia subministrat.

Præter hæc si Extraneorum subsidia Discretio vestra consideret, in primis cum gratia statim effusæ liberalitatis occurrunt, sed postmodum tædio diu-

turnitatis tepescit affectio, et liberalitas impendii quantitate lassatur. Onus quippe modicum itineris longitudine certum est ingravari, et domesticæ sarcinæ onus sæpe præponderat alienum. Hæret altius, difficiliusque convellitur, qui de præcedentibus meritis adolevit affectus: semperque se verecundia reputat obligatam, donec saltem, quæ percepta sunt, uberius compensata solvantur. Constat itaque delicate tractandos esse, quos ad beneficium ultroneæ gratia caritatis invitat. Nec oblatum liberaliter poculum quis absorbeat alienum, sed citra votum etiam largientis manus continendæ sunt, ne alienam virtutem necessitas vel impudentia nostra consumat. Hæc sunt quæ bonum est vestram sæpius tractare Prudentiam, et rationis instrumentis sæpius expensa revolvere, et sic omnia quasi sub unum conferatis adspectum, ut quid singula ponderis habeant, plenius de iterata possit collatione perpendi.

Cæterum media vobis erit via securior, ut nec propositum vestrum adversitatis austeritas intervertat, nec conscientia veritatis obduret: Ne vos vel pavor desperatum faciat, vel confidentia pertinacem. Tolerandum quippe est quod sine crimine potest fideique periculo temperari, multaque ad tempus dissimulare necesse est, quæ statim nequeunt emendari, donec tranquillior vobis spiritus auræ lenioris adspiret. Non enim semper eosdem diversa tempora repræsentant eventus, sed præsentia nobis quandoque præteritorum detrimenta restaurant. Circa contingentia nihil stabile sibi potest infirmitas humana præfigere, nec de suorum etiam niti possunt affectibus animorum, sed et ipsos fortuitis casibus cohærere necesse est, et ad singulos eorum motus singulas effingere voluntates. Hoc totis siquidem studiis coguntur exquirere, quod ab eis modo nullis poterat precibus impetrari.

Quia dexteræ Excelsi repentina mutatio totam docet illico mansuescere feritatem. Sic est: in manu Domini sunt corda hominum pariter et personæ: Parique facilitate et personas de medio tollere potest, et animos immutare. Super quo spem vobis certissimam tribuant conscientiæ puritas et momenta fortunæ. Quia nec ea, quæ vobis adversantur, æterna sunt, nec sperantem in se confundi Justitia Divina permittet. Inclinabit siquidem Deus animum Principis, et aversum sua bonitate convertet, ut Regnum et Sacerdotium paribus sibi invicem cooperentur auxiliis, mutuam sibi reverentiam, mutuam sibi exhibeant caritatem. Si quis enim provida prudentiæ veteris Instituta consideret, a quibus tam Religionis Ecclesiasticæ, quam Regalis Excellentiæ jura fluxerunt, cognoscet ea tanta sibi invicem rationis necessitate connexa, ut plurimam alterum de altero contrahat firmitatem. Unde si quid invicem molestiæ vel injuriæ fuerit irrogatum, in eum, qui irrogaverit, constat esse vertendum, quia neque pax Ecclesiæ sine Regno, neque Regno salus poterit nisi per Ecclesiam provenire. In caput igitur Auctoris revertetur injuria, ipsumque sibi manus intulisse novissimo comparebit effectu.

Interim si quid vobis serenitatis cœperit apparere, occasionem vestra Sapientia non repellat, sed oblatam prompto colligatis amplexu. Super quo si quid tractandum inciderit, nolite singulos articulos nimia subtilitate discutere. Quia subtilitas contentionem parit, contentio vero sopitos odiorum ignes quasi quibusdam flatibus excitat et accendit. Non erit vobis ad singularia recurrendum, sed quasi generalibus studiosius inhærere: quia salva res est, nisi pactiones specialiter expressæ perimant libertatem. Si enim nos fidei pro fide profitemur, et reverentiæ,

et obsequii debitores, si bona et personas nostras honori et utilitatibus ejus offerimus impendendas, si Regias dignitates, et antiquas consuetudines, in quibus legi Dei non obviant, promittimus observare, non lædit, quia in his omnibus contra debitum nullatenus obligamur. Si ergo sub hac vel simili verborum conceptione pacem vobis et vestris bonitas Divina paraverit, interpretationes verborum futuris reservate temporibus: Quia non ipse vobis tot movebit de cætero quæstiones, et vos in omnibus poterunt experimenta præsentia reddere cautiores.

Sed neque vobis apud homines gloriam videamini quærere vel triumphum, sed Regi, tanquam præcellenti, omnis honor, omnis victoria conferatur: Dum tamen vobis liceat coram Deo de conscientiæ vestræ testimonio gloriari. Ego vero fidele paci vestræ ministerium ut devotus, ita promptus impendam, quoniam adversitati vestræ, Deo teste, compatior, et Personam vestram et caussam sinceræ brachiis caritatis amplector. Certum siquidem est, quod fortunam vestram et Personam pro fratribus vestris velut quoddam holocaustum in odorem suavitatis offertis, ut labor vester nobis cedat ad requiem, inopia vestra nostras redimat facultates, et quod residuum libertatis est, patientia nobis vestra confirmet. Proinde sic agendum erit mihi, ut me vobis prima facie profitear inimicum: Quia amicum profitenti neque fides haberetur, nec aliquis præstaretur accessus. Poterit igitur conciliando favori simulatio deservire, ut utilitati vestræ cautius virtus operis et industria sermonis incumbat. Proinde consolamini, quia de adventu ejus ad partes istas plurima nobis commoditas incipit apparere. Quia præsens efficacius ab his, qui vos diligunt, poterit implorari, nec indecorum sibi reputare poterit eorum auctoritati

te ecclesiæ cedere, acquiescere consiliis, precibus inclinari.

Venit autem animi solito mansuetioris, ut aiunt. Quia animum ejus, licet ipse dissimulet, quædam præsagæ futurorum amaritudines interpellant, quoniam intelligit in plerisque locis sibi scintillas quasdam ad excitanda incendia confoveri. Movetur enim Francorum invidia, calumniis Flandrensium, Wallensium improbitate, Scotorum insidiis, temeritate Britonum, Pictavorum fœderibus, interioris Aquitaniæ sumptibus, Guasconum levitate, et quod gravius est, simultate fere omnium, quoscumque ditioni ejus constat esse subjectos. Suspectam etiam habet Romani Pontificis, quam ipse motu repentino contraxit, offensam. Regnique status adeo de absentiæ vestræ caussa confusus est, ut nec Ecclesiastica nec sæcularia suo procedant ordine: Neque quisquam sciat quid juri Ecclesiastico, quid sæculari debeat assignare. Pro his omnibus proposuit primo cum Rege Francorum quibuscumque conditionibus convenire, ut suo et ipsius terrore conjuncto facilius possit cætera complanare. Disposuit etiam, sicut aiunt, in plerisque mitius agere, ut ad pacem omnia dissimulatis revocentur injuriis, et ipse celeri reditu ad reprimendam Wallensium revertatur audaciam, priusquam cum eis Scoti Britonesque conveniant, et Albania, sicut prophetatum est, incipiat indignari. Venit igitur imperata facturus, si fuerit qui sciat vel audeat imperare: utilius æstimans aliquid ad tempus de fastu veteris supercilii sequestare, quam exspectare ut in perniciem ejus, quæ prædicta sunt, omnia vel pleraque concurrant. Valete.

Dominus Personam vestram conservet incolumem, et adversitatem vestram velociter ad secundos reducat eventus. Verum si hæc alicui duxeritis osten-

denda, nomen supprimatur auctoris: Quia quantum mea intersit hæc ad Regis notitiam non venire, vestra experientia non ignorat. Rescribite mihi crebrius, sed secrete, ut quomodo procedendum sit, vestra me prudentia doceat, et curiosa malignitas nostra invicem studia non cognoscat.

Salutatio mea manu Milonis.

35. *Ad eundem.*

Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo suus Ernulphus.

Vix apud Dominum Meldensem triduum peregeram, et ecce cum literis vestris Willelmus Duretent Kalendis Aprilis advenit. Ad quarum susceptionem non minus gratulatus, quam devotus ad obsequendum, in crastino, si tamen antelucanum crastinum dici debeat, post habita sacratissimæ diei reverentia, accepta ab Episcopo, cui adhærebam, benedictione, Mandato vestro instantissimam adhibiturus diligentiam, Sylvanectum veni, ibique Dominum Regem Francorum de perquirendo vobis hospitio, quanta potui humilitate, conveni. Solita mihi respondit benignitate, quod de vestro negotio ita inter Dominum Papam, et ipsum convenerat, quod vos usque ad Vallem Sanctæ Mariæ, Cisterciensis Ordinis Monasterium prope Pontisaram, accedere deberetis, ibique subsistere, donec ex communi consilio proprius evocemini. Nec esse interim super hospitio vestro multum laborandum, cum utrum illuc usque veneritis, sit incertum. Ad hæc cum subjunxissem necessariam fore interim hospitii vestri providentiam propter tantum undecumque concursum, ne si forte veneritis, vos et vestri inhoneste vagemini, respondit se, cum ad hoc ventum fuerit, operam daturum, ut

tam super hospitio quam aliis, prout vestram decet Excellentiam, provideatur vobis. Nihil amplius ab eo potui extorquere, licet multa institissem improbitate. Unde quæ hactenus a me circa id acta sunt, vobis significo, vestram desiderans, si placet, iterum audire voluntatem. Domus Fratris mei vestra est, sed a loco colloquii distat tribus leucis. Ego tamen interim quod potero faciam, et modis omnibus propinquius vobis hospitium perquiram. Sed Mandati vestri adventum serum accuso. Accelerari rogo Nuncium, ut acceleretur negotium. Tempus enim breve est, et tumultus tantus, ut vix locus pateat, qui jam non sit occupatus. Valeat Dominus meus carissimus.

36. *Ad eundem.*

Thomæ Cantuariensi Archi-Episcopo suus Ernulphus.

Diutius exspectavi, si quid forte auribus meis insonuisset, quod vestræ Sanctitati dignum ducerem intimare. Verum quoniam video vos et vestros oblivioni datos tanquam mortuos a corde, nec est qui consoletur vos ex omnibus charis vestris, stupens admiror tantum caritatis defectum, cum ex his, quos vel excellentia gradus, vel obsequium multiplex comparasse videbatur, fidelibus et amicis ne unus quidem relictus sit, qui steterit in fide, qui non curvaverit genua sua ante Baal, omnibus quasi in commune sententiam proferentibus, obedire magis homini quam Deo oportere. Filii alieni mentiti sunt vobis, filii alieni inveterati sunt. Et nisi quia Populus, quem non cognovistis, servivit vobis, in auditu auris obediturus, utique quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus. Me quoque, si liceat

magnis componere parva, fortunæ similis premit indignatio tanta, ut nullus eorum, qui verbo saltem hactenus mihi fuerant blanditi, Nunciis meis, per quos non semel eos sollicitavi, nec *Ave* dicere, nec ullum prorsus dare velint Responsum. Recens noster Archi-Episcopus, cujus promotionem plurimum mihi profuturam sperabam, ad gratiam sui Regis nunquam, ut audio, tantis viribus anhelavit: Ejus nec in modico promissionis fidem adhuc experior. Superest igitur, ut soli Deo omnia committamus, dicentes ei: *Domine ad te sunt oculi nostri, unde veniet auxilium nobis. Judica caussam nostram, qui solus Pater Orphanorum, et Judex viduarum es, et judicium facis injuriam patientibus.* Ego quidem, si Domino meo, cum sum labiis incircumcisus et corde, loqui audeo, per eum, cujus caussam agitis vos, obtestor, ut vos a solio bonæ conscientiæ nullus unquam turbo dejiciat. Nec moleste feratis, quod quasi privatus vitam agitis, olim frequentia clientelæ circumseptam. Quæcumque Mundus irrogat, ipso altior sustinete, immo despicite, in omnibus gratias agite Deo, cujus misericordia vos ad præsens a tumultu sæculari segregavit, ut vel modicum tempus in contemplatione ducatis et quiete, et cum Maria, quæ optimam partem elegit, ad pedes ejus sedens verbum ejus audiatis. Supplico Pater et Domine, ut de salute vestra, sine qua nihil mihi jucundum in vita, et de statu vestro, cujus incolumitas sufficit ad meam, servum vestrum certificetis, et vestræ Scripto Beatitudinis consolari dignemini, ut consolatione vestra paupertatem meam æstimem divitias. Carissime Pater et Domine, bene valete.

37. *Ad eundem.*

Domino et Patri suo Carissimo Thomæ, Dei gratia Cantuariensi Archiepiscopo, Ernulfus fidelium ejus minimus, in Spiritu fortitudinis, scientiæ consilio regi.

In otio laborioso constitutus, nullum aptius credidi mihi remedium fore quam vobis, Pater, aliqua scriptitando tamquam præsenti loqui, qui tamen jugi meditatione, dilectione singulari præsens, totum mei cordis hospitiolum merito vendicastis. Placeat igitur Serenitati vestræ, a seriis ad nostras nænias ad horam converti, et his pro me scriptis paululum temporis indulgere, qui pro vobis innumera aliis legenda, utinam tam efficaciter, quam diligenter conscripsi. Sed nec æstimet quisquam, hæc de curiositatis superfluo vane procedere, quæ et sollicitudo filialis de statu Patris optans instrui dictat, et propriæ necessitatis caussa suggerit: non minimum suo Patrono saltem exposita reportatura solatium. Laboriosum, inquam, mihi est otium, quod et gravioribus animum molestiis pulsat, quo minor rebus gerendis materia subest, et rarior negotiandi me excitat occasio, ut cum Propheta merito dicam: *Ecce in pace ista amaritudo mea amarissima.* In ipso etenim, ut ita dicam, actionum silentio familiari quadam inquietudine tumultus suboritur cogitationum, longe multiplicius occupans, infestius distrahens, altius evertens, præsertim cum mihi ipsi contrarius positus sim, et velut in partes divisus, illud in me Sapientis experiar: *Quia nulla pugna gravior, Quam illa, in qua idem, qui vincit, vincitur.* Hinc me præteritæ felicitatis urit memoria. Summum enim infelicitatis genus est fuisse felicem. Hinc præsentis adversitatis non tam premit angustia, quam rubor confundit, ob quam et Fratres mei elon-

gaverunt se a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. Quodque gravius est, facti sumus opprobrium vicinis nostris, judicantibus ad oculum, subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt. Noverat hoc, qui dixit:

Non habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit.

Ad exaggerandam demum tantæ confusionis ignominiam opponitur eorum non solum impunitas, verum et gloria, qui hujus turbationis vel actores exstiterunt, vel incentores, insultantium nobis, et quasi dicentium: *Hi sunt, qui suam justitiam statuere volentes, justitiæ Regis noluerunt esse Subjecti. Propterea dati sunt in captivitatem, et possessiones eorum in manus inimici.* Ob quos mundanæ protervitatis motus sub æquitatis normam redigendos, cum veterum auctoritas exquisitissimis assertionibus multimodo labore desudaverit, dementiæ arguendus esset, si quis eorum rationibus vel auderet refragari, immo vel approbare detractaret. Veruntamen cum ad ipsum passionis dolorem recurritur, sensus præponderat auditui, sensualitas præjudicat rationi, et sic aut incurritur tædium vitæ, ut Signipotens ille Prophetarum eximius clamet: *Obsecro Domine tolle animam meam.* Aut boni Propositi via forte deseritur, ut et David, Vir secundum cor Domini, dicat: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Quod si in his, et aliis viridibus lignis, utpote secus aquarum decursum plantatis, abundanti videlicet Spiritus Sancti gratia debriatis, hujus confusionis vices aliquantulæ turbationis caussam cernimus exstitisse, Jesu bone! in nobis aridis, vel, ut verius dicam, putridis quid fiet, quibus illa fontis æterni vena tot saxorum obstruitur oppositione, quot peccatorum ponderibus aggrava-

mur? Nam etsi magnam ex Scripturæ Saeræ lectione, velut David in cythara psallens, Christi in nobis consolationem operetur, cum tamen ab ea vel vacare necessario cogimur, vel torpere negligenter, quasi cythara reticet, et spiritus nequam, quem carnalem sensum non incongrue dicimus, suum Saul, id est, concupiscentiam nostram, superbiæ, cæterisque vitiis deditum rursus exagitat, nec exstirpari facile est ad plenum, quod tam crebris assultibus repullulat redivivum. In hac sane Justissimi Creatoris area, multa confuse miror, et conqueror accidere, in qua libertas servire videtur, fortitudo succumbere, servitus dominari, et postremo vilissima pedissequarum, nec minimæ virtutum respectu digna, fortunam dico, ipsi Reginæ Justitiæ potenter imperat, vim infert, injurias irrogat, tormenta multiplicat, proprium ejus, quod est unicuique suum reddere, quantum in ipsa est, evacuat, et quodcumque sibi libitum est, in eam confidit, et arrogat impune licitum, dum solvendos ligat, ligandos solvit, nocentes exaltat, innocentes premit. Suum quippe innocentiæ esse quis abnuat triumphalis præmium coronæ? Quid hac, Deus bone, confusione prodigiosius? Quid hoc prodigio mirabilius est? Quid hoc mirabili vel efficacius ad movendum, vel innocentius ad subvertendum? Unde non immerito illa Sapientis lachrymosa conquestio: *Heu gravem sortem, quoties iniquo additur sævo gladius veneno.* Et Salomon: *Cum impii sumpserint Principatum, gemet Populus.* Ac ne forte in affluenti, tritaque materia prolixa nimis evagetur oratio, redeundum est ad cor. Et ne sermo sobrietatem excedat, aut mens a scrupulosa quæstionum crepidine in præcipitium devolvatur erroris, utrobique cavendum, ne forte in Creatorem velle refundere videamur, quod ex nostra in nobis minus est infirmitate, sub cujus

oculis nullus motus temerarius, nullus eventus fortuitus: Quoniam in sapientia cuncta disponit ab æterno provisa. Quæ profecto rerum dispositio non ideo minus ordinata, quia caussa ejus nobis incognita, immo eo majori prosequenda fidei pietate, quo ab humanæ rationis cognitione remotior. Judicia Dei abyssus multa, quæ solus ille novit, qui abyssos intuetur, et sedet super Cherubin. Tandem a generalitate ad id, quod me specialiter contingit, descendendum est, et de ea sorte, quæ me cæterosque nostros pariter involvit, conquerendum. Sed frustra, quia nec casus noster sublevantem invenit, nec querela consolantem ex omnibus charis nostris, fortior in me de die in diem tribulationum tempestas insurgit, et aliquid calamitati meæ super addidit hodierna, quod non habuit hesterna, et de crastina vereor, ne et ipsa fiat hodierna deterior. Dominus Rothomagensis aggravavit manum suam super me. Quia vos in Persecutores nostros justa animadversione vestram aggravastis. Illud tantillum beneficii, quod anno præterito mihi gratis promiserat, in præsenti negat. Gratis dico pro tempore, licet mihi debitum pro ratione. Temporalis Principis, quam timet, prætendit offensam, qui potius æterni Judicis cuncta cernentis attendere debuisset sententiam: *Deo potius obediendum quam hominibus.* Et illud: *Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus.* Et fortasse in his omnibus nulla posset ratione dolor mitigari, neque enim dedit mihi Deus cor lapideum, ut percussus non sentiam, attritus non doleam, nisi et in primis me digna factis recipere, et peccata mea multa graviora meruisse cognoscerem, et ad vos, Pater Sanctissime, respectum haberem, qui voluntarie sustinetis, quod ego coactus sum in merito, quod ego meritus. De cujus plenitudine totum mihi defluxerat, quod in

præsenti videbar habere. Ad cujus potentiæ gloriam nec ipsi potentes poterant, nec ipsi sapientes noverant adspirare. Sane Pater, quia universa hæc tanquam nihil habentes in Christo possedistis, qui corde eorum affluentiæ nullatenus apposito, ea pro Christo ingruente necessitate fortiter abjecistis. Etenim iterum *Joseph in manu mulieris impudicæ pallium reliquit, Adolescens rejecta sindone nudus profugit a Persecutoribus Christi,* dum vos præelegistis, abjectis, ut dictum est, rerum temporalium sarcinulis, quasi quibusdam ad iter vestrum impedimentis, nudus et expeditus crucem vestram tollere, Christum sequi, in domo Dei abjectus esse, quam cum sæculo gloriari, et in tabernaculis peccatorum habitare. Ita ut illud Propheticum et Evangelicum in auribus meis proclamare non tam ore, quam opere videamini: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam. Et quid prodest homini, si Mundum universum lucretur, Animæ autem suæ detrimentum patiatur?* Hic est Serpens Æneus, ad quem tentationibus velut Serpentibus vulneratus, respectum habeo. Hæc est Petra, ad quam curarum aculeis obsitus velut spinosus Erinaceus spero refugium. Petra enim refugium Erinaciis. Alioquin vivus absorptus inter mortuos, desperatos scilicet, qui Deum non laudant, habitassem. Deputatus essem cum his qui in inferno sunt. Respiciens fui ad adjutorium hominum, et non est. Vere maledictus homo, qui confidit in homine, et qui ponit carnem brachium suum. Superest igitur, ut in eum solum respiciamus, cui soli derelictus est pauper, qui solus laborem considerat et dolorem. De cætero unum est, Pater, ut salva pace vestra loquar, quod omni tribulatione gravius sustineo, impatientius porto, vehementius doleo, quod, cum sæpissime Nuncios vestros discur-

rentes videam, nec literas visitationis, nec saltem verba salutationis per ipsos ex parte vestra recipiam. Status vester adeo mihi est absconditus, ac si nunquam a vobis visus, vel, quod Deus avertat, vobis essem invisus, nec de vobis mihi scire datur aliquid, quod non publicaverit fama, ut tunc demum mihi novum adveniat, cum apud alios fuerit antiquatum. Mementote, Pater, quia ego sum, qui vobiscum pondus diei et æstus sustinui. Novit Deus, quod totis viribus in conscientia pura vobis affui: utinam tam discrete, quam devote, tam feliciter, quam fideliter. Alii, fere quotquot vobiscum sunt, in labores meos introierunt, lætantur præsentia vestra, reficiuntur verbo, eriguntur exemplo, nec invideo. Non rogo temporale subsidium, quia sufficit mihi paupertas mea. Non quæro, nisi ut invocetur tantummodo nomen vestrum super me, et gratiæ vestræ securus vivam, quæ hac tempestate mihi super aurum et lapidem pretiosum multum desiderabilior, et dulcior super mel et favum. Liceat mihi saltem per Internuncium audire, quod aliis videre datur, ut vel afflicto Domino meo condoleam, vel consolationis et spei, si qua est, particeps existam: Sicut et ærumnæ, sic et laboris. Me sæpius ad vos ire volentem revocat, Deus scit, non tam itineris difficultas, quam ne his, apud quos utcumque sustentamini, oneri sim, cum magis vobis expediat paucis esse contentum, quam tumultu circumstrepentium inquietari. Agite ergo, Pater, agite constanter, quia non inchoanti, sed perficienti corona debetur. Juxta illud: *Finis, non pugna coronat*. A Sacrificio vestro, cum Abraham aves abigens usque in vesperum, ne laborem vestrum volatilis gloria tollat, ne quando dicat Inimicus vester: *Prævalui adversus eum*. Omnia opera vestra referatis ad Deum, ut benedictionem mereamini:

Quia Beatus, qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram. Id est, *Ad Christum* opera sua referet, et in ipso probabit, qui est lapis offensionis et Petra scandali. Ne credatis omni spiritui, sed prius probate utrum ex Deo sint. Sermo jactantiæ, actus præceps, procul sint a vobis. Cum summa gravitate, et in consilio omnia faciatis, ut modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Et sic in eo vincetis, qui ait: *Confidite, ego vici Mundum.* Quod ipse vobis concedat, qui omnia potest, cujus caussam agitis, Jesus Christus Dominus noster, Carissime Pater et Domine. Bene valete.

38. *Ad Ludovicum Regem Franciæ.*

Carissimo Domino suo Ludovico, regi Francorum, Arnulfus Lexoviensis ecclesiæ humilis minister, salutem et devotum cum omni devotione obsequium.

Lætificavit animam meam lator præsentium gaudio diu desiderato, gaudio quod tam nos quam cæteri fideles regni Francorum longis suspiravimus desideriis, et nunc crebris exultationibus suscipimus adimpletum. Visitavit Deus plebem suam, totique regno Francorum misericordiæ suæ viscera patefecit, dum et certum vobis hæredem instituit, et justum universis regni Francorum primatibus Dominum ordinavit. Nullus enim erit adeo superbus aut contumax, qui illi debitum famulatum detrectet impendere, quem de carne vestra ad regni noverit gubernacula procreatum. Conservet omnipotens Deus personam vestram, regnum stabiliat, sobolemque vestram vobis et nobis in tempora multiplicet longiora. Cæterum pro latore præsentium Bernardo supplicamus: quatinus ad id quod Dominus suus ei legaverat obtinendum, nostras sibi preces sentiat profuturas.

39. *Ad Arnaldum Pictaviensem Archidiaconum.*

Quod aliquid a vobis censeo postulandum, cum petitionis honestas, tum vestræ benignitatis intuitus, non præcedentium facit confidentia meritorum. Verum si operis exhibitio non præcessit, paulo minus tamen sibi videtur meruisse devotio, quæ ad omnia si occasio processisset, promptam se semper extitisse cognoscit. In omnibus enim non tam requirenda sunt opera, quam affectus, nec adeo quid feceris requirendum est, quantum qua feceris voluntate. Sic est: intentio operi nomen imponit, trahitque factum ipsum potius de animi qualitate substantiam, quam de beneficii quantitate. Inde est quod pro magistro Meschino amico et antiquo sodali nostro, preces vestræ porrigo sanctitati, ut veteri si quis est animi rancore deposito, exoratum vos merear invenire super petitione illa, super qua literis etiam Apostolicis instructus Pictaviensi Ecclesiæ supplicabit. Promisit mihi quoniam ex hoc nunc vestro se totum tanquam magistri et patris mancipabit obsequio, ut si quid de præterito negligentius, vel inconsultius actum est, futuri temporis officia recompensent.

40. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Dominus Remiba. Aurelianensis amicus noster est, mutuisque obsequiis plurima nobis invicem sumus caritate conjuncti. Inde est quod nostris ad præsens apud majestatem vestram precibus petiit adjuvari, ea nimirum fiducia, quia novit quod vota nostra apud benignitatem vestram desideratum crebrius consequuntur effectum. Privavit eum sententia vestra præcentoria, quam habebat pro delicto quodam, quod, sicut ipse asserit, non de malitia qualibet, sed de

sola simplicitate commisit. Existimavit enim factum illud ad tenorem juramenti publici non spectare, neque se religionem credidit excedere sacramenti, si non communicabat aliis quod singulariter de sola ipsius voluntate pendebat. Conventus autem a fratribus non restitit improbe, nec superbe respondit, sed statim errorem suum, si tamen error erat, ad publicam voluit corrigere voluntatem. In quo si certum est nec præcessisse malitiam, nec superbiam successisse delicti quantitas fines clementiæ non excedit, poteritque ex hoc nunc Romani Pontificis misericordia subvenire, in qua nobis divina bonitas et remedium salutare constituit, et refugium singulare. Siquidem quantum ad culpam satis vindicatum est, quia homini verecundo ad majorem pœnam confusio, quam magna etiam detrimenta procedit. Porro cum ei ad veniam simplicitas, nihilominus ad gratiam devotio suffragatur, quia verum est ipsum semper Romanæ Ecclesiæ secundum facultatem suam humilibus obsequiis inservisse. Pro omnibus itaque quæ prædicta sunt fiducialiter accedimus ad rogandum, et quia gloriosum nobis erit tantum a dignatione vestra beneficium impetrasse, et jocundum aliquid consolationis amico in tanta amaritudine perquisisse.

41. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Quibus periculis exponere, quibus impendere laboribus personam meam destinaverim, ut mererer ad sublimitatis vestræ venire conspectum, noverunt hi qui procinctum meum ad terras peragrandas, et maria pariter exploranda viderunt. Iturus eram, sed iter meum divulgato fama præcessit indicio, ut facile mihi possent insidiæ præparari. Ego enim homo sum cui celebrem multæ causæ contulere notitiam, et

cui apud hostes Ecclesiæ plurimam zelus justitiæ contraxit invidiam, sibique crederent successisse, si in persona mea et malignitati suæ satisfacere, et vestram possent offendere majestatem. Retinuit itaque me Rex noster, qui mea quidem voluntate præcedente mittebat, negotiaque sua partim distulit, partim minoribus nunciis perferenda commisit. Intra pectus itaque meum major anhelantis desiderii fervor exæstuat, dilationem hanc quasi vulnerati cordis affectione deplorans, quod pedes vestros amplecti, et serenitatem vestram mihi non datur oculis præsentibus intueri. Facio interim quod possum, et me totum honori et utilitati Ecclesiæ, quoties occasio refulget, impendo, tanta siquidem voluntate, ut a plerisque de immodestia videar arguendus. Animo enim diligenti nihil satis est, neque magna devotio cujuslibet operis exhibitione placatur, sed suos semper in anteriora conatus extendit, hoc vobis apud me studium, hæc continui laboris instantia, hic irrevocabilis perseverantiæ vivit affectus.

42. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Est quiddam in quo majestatis apud vos reus inveniar, nisi vestram fidelibus indiciis præmuniero sanctitatem. Habuit Ecclesia Sagiensis Episcopum, cui me fraterni sanguinis necessitudo conjunxit, sed arctius gratia beneficientiæ liberalis astrinxit: hic cum prædictam Ecclesiam suscepisset, magnam temporalibus curam, majorem spiritualibus homo sanctus impendit. Ipsam igitur thesauris ornatam, instructam ædificiis, possessionibus reddidit ampliatam, adeo quod pro XIII Canonicis quos sæculares appellant, ipsisque pauperibus, moriens ibidem XXXVI Canonicos regulares cum omni ædificiorum suffici-

entia, et redituum copia dereliquit. Cumque eam in temporalibus nobilem reddidisset, in spiritualibus semper nobiliorem studuit exhibere, vir magnificus, et omni sanctitate laudabilis, cui nec sanctitas magnificentiam tolleret, nec magnificentia sanctitatem. Quod bonum a prædecessoribus vestris, viris Apostolicis, Honorio primum, postmodum Innocentio, denique Eugenio et Adriano cœptum est et firmatum, præcedente siquidem gloriosissimi Regis Anglorum Henrici devotione, qui magna ob eandem causam Ecclesiæ bona contulit, et præcepti regalis valituro in perpetuum munimine roboravit. Cumque res hæc a prædicto viro religiosissimo Honorio traxisset initium, ab irreparabili viro Innocentio meruit incrementum, cujus auctoritate prædictus Episcopus electus ab Ecclesia sancti Victoris Parisiensis personas accepit, quarum sanctitas et prudentia suis meritis tantæ rei posset initia consecrare. Quorum studiis tantum inter varias tribulationes sanctum opus excrevit, ut inter omnes Gallicanas Ecclesia illa cœperit de nobilioribus illius ordinis æstimari, si quis circa eos hospitalitatis gratiam vel ordinis vellet attendere disciplinam. Porro ne qua posset oriri sæcularitatis in posterum revocandæ suspicio, et quia potior fructus poterat de regularium administratione sperari, statum est et Romanæ Ecclesiæ nihilominus auctoritate firmatum, quod in regulares personas sicut præbendæ, ita et archidiaconatus, et omnium rerum tam potestas, quam administratio conferretur, ita nimirum, ut omnes obventiones deberent in commune referri, ne cupiditati daretur occasio, si eas liceret privatis usibus applicare. Quod adeo verum est, ut defuncto sæpe dicto Episcopo, eum qui successit episcopari Ecclesia Romana nulla ratione permiserit, donec eundem ordinem in propria persona

professus est, et quod ipsum in Ecclesia fide bona servaret, juramento corporaliter interveniente firmavit. Tantus siquidem favor religionis extitit apud eam, ne statuæ aureæ, quod absit, caput æneum ipsius opificio diceretur affixum. Verum Episcopus iste qui ad præsens, Domino permittente, successit, detestabilem concepisse prædicatur affectum, scilicet plantationem hanc penitus evellendi, destruendique bonum, quod fidelium devotio, quod auctoritas Principum, quod sanctorum religio, quod Ecclesiæ Romanæ privilegia duraturo in perpetuum anathemate firmaverunt. Quod si totum a discretione vestra non poterit impetrare, archidiaconatus saltem ad sæculares studebit revocare personas, scilicet ut habeat carnalis affectio quod nepotibus tribuat et propinquis. Sed hunc ipsum pietatis specie palliabit affectum, dicturus Ecclesiam illam idoneas non habere personas, quæ talibus sufficere probentur officiis, tanquam si sanctæ simplicitati prævalere debeat sæcularis astutia, aut de Ecclesia sancti Victoris, aut sancti Rufi, vel aliis similibus personæ non possint auctoritate vestra ad hæc officia dispensanda transferri. Et ego quidem Ecclesiæ illius archidiaconus extiti, ipsiusque beneficiis educatus sum, ipsius institutionibus eruditus, justumque est ipsius me semper detrimentis occurrere, et utilitatibus debita diligentia providere. Sed et bonum quod tanto domini et fratris mei labore contractum est, humeris meis sustinendum memoria fraternæ caritatis imponit, propter quod inter me et Episcopum loci illius cum domesticus noster extiterit, multisque a me beneficiis sit præventus, noviter est oborta discordia, quia fratrum illorum injurias sustinere non poteram, eique ad ordinis subversionem, opem et consilium non præstabam. Unde illum et eos qui cum ipso sunt tanquam adversarios

nostros et manifestos hostes sapienter accipite, quoniam ultrices linguæ neque fidem, neque facilem promerentur auditum. Quod si forte preces aliquæ super hac causa vobis porrectæ sunt, secure tanquam subrepticias æstimate, neque necesse est Ecclesiam aliquod propter eas pati dispendium, quoniam ad conservandam vobis fidem et gratiam ejus a quo missæ sunt, satis erit absque omni offensa si in propriis postulationibus fuerit exauditus. Ad summam loquar ad dominum meum, cum sim pulvis et cinis. Jocundum sit ei eloquium meum, ut piæ postulatio voluntatis optati gratiam consequatur effectus. Domine, personam vestram publica commendat opinio, animosque et aures omnium operum vestrorum expectatio curiosa suspendit, dum malignandi materiam venatur iniquitas, et gloriam nomini vestro devotio fidelis inquirit. Absit igitur a vobis ut prædecessorum vestrorum sancta plantatio vestris convellatur manibus, vestris viribus extirpetur. Absit ut per vos tot Romanorum Pontificum anathemata ducantur in irritum. Absit ut per eos remota sæcularitas auctoritatis vestræ sententia revocetur.

43. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Regressus ab Anglia ad pedes vestræ beatitudinis amplectendos debui cucurrisse, sed expectanda fuit occasio, qua me magis traxisse necessitas videretur, quam devotio perduxisse. Animus siquidem Principis nostri aliquantulum ab ea, qua sanctitatem vestram olim complexus est, caritate descivit, adeo ut inter familiares suos quandoque conquestus sit se minorem in vobis quam speraverat gratiam invenisse. Ait in opportunitatibus suis vos esse difficilem, in postulationibus scrupulosum, acceptos vobis esse et

jugiter in Curia demorari quosdam, qui mendaciis suis gloriam Regiæ serenitatis offuscant.

Convenire siquidem ad Apostolicam sedem ex multis partibus multos, quorum aures illi pravæ veneno malignitatis inficiunt, ut sic opinionem ejus quasi transmissa ad omnes gentes delatione denigrent. Furtive quidem id agi, ut iniquitatis operante mysterio quanto magis res silentio premenda dicitur, tanto diffundatur in plures, quantoque secretius agitur, tanto sit efficacior ad nocendum. Non tamen arbitratur id de vestra conscientia vel voluntate procedere, sed eis de diuturna apud vos commoratione paratur occasio, et audaciam comparat assiduitas impunita fallendi. Addit impetratu facile quicquid ab ejus æmulis imploratur, vota autem ejus exquisita subtilitate discuti, vel tædiosa dilatione suspendi. Si quos ergo de suis viros auctoritatis loquor ad præsentiam vestram venire contingat, hi qui familiarius ei assistunt, incertum suspicionis malum, fallaci statim adulatione confirmant. Consuevit enim illud hominum genus de minimis maxima fabricare, et sicut inter eos nulla fides est, sic nullus veræ caritatis affectus, uniuscujusque studium est, alium quibus potest modis excludere, ut solitariæ sibi familiaritatis privilegium gaudeat adquisisse. Accessurum sibi putant quicquid alii fuerit derogatum, proventusque suos reputant, aliorum semper utilitatibus obviare. Ego igitur qui quantum damnosa sit suspicatio Principum, licet innocens, frequentibus detrimentis agnovi, occasionem censui postulandam, qua vel ab eo sicut quandoque mitterer, vel aliqua me trahere necessitatis instantia videretur. Quæ quia differebatur, nihil enim onerosum mihi vestræ gratia benignitatis imponit, mittendum duxi, ut diligentis absentiam legatio suppleat, quæ bene meritæ majestati vestræ

devotionem meam, tam viva voce, quam literis repræsentet. Vester sum sanctæ Romanæ Ecclesiæ tam verna, quam filius, cujus me assidue reminiscor exhilaratum gratia, præventum beneficiis, honoribus ampliatum. Nihil unquam par tantæ dignationi referam, nihil dignum tot meritis exhibebo, sed et si non debitorem operis exhibitio, perfecta tamen caritas consummatæ devotionis absolvit.

44. *Ad Gilbertum Londoniensem Episcopum.*

Lator præsentium amicus noster est, nostrisque petit precibus apud vos adjuvari, eoque instantius, quia confidit quod preces nostræ apud caritatem vestram utilem sine difficultate sortiantur effectum. Gaudet quod amatori justitiæ veritatis sit delegata cognitio, quod precum nostrarum suffragio munitus accedit, ut in proventum ejus apud vos sincera fraternæ religio caritati concurrat. Licet autem pluralitas instrumentorum viam possit aperire judicio, omnem tamen absolvet testium numerositas et veritas notoria quæstionem, desertaque provocatio motum judicis excitabit, quam scilicet adversarius hujus censuit opponendam, eo quidem astu, ut ei vacaret affectatam rapinam in bona pauperis licentius exercere. Verum quid in malæ fidei possessorem sine titulo, super principali causa quid in desertorem appellationis super sumptibus et expensis decernendum sit, vestra peritia non ignorat, ne scilicet vis aut dolus impunita prætereant, vel immeritum patiatur innocentia detrimentum. Porro negotium vobis in expedito Romani Pontificis collocavit auctoritas, sublato nimirum appellationis obstaculo, in quo sibi calumniatores plerumque occasionem vexandi constituunt, et refugium evadendi. Nunc enim parebit vobis, licet invita,

quasi quibusdam terminis circumscripta malignitas, cum nec ad præsens forum vestrum possit excedere, nec severitatis vestræ sententiam declinare. Valete.

45. *Ad Abbatem Gristanensem.*

Quartusdecimus mensis agitur, vel fortassis exactus est, ex quo ad aliud regnum et transmarinas regiones a monasterio tuo sine Episcopi tui benedictione et conscientia discessisti. Quanta autem interim idem monasterium in spiritualibus et temporalibus detrimenta perpessum sit, et fratres sentiunt, et tota regio protestatur. Nunciatur vero nobis te in Anglia nihil nisi lites et calumnias exercere, et cum gravi monasterii tui sumptu, sine utili causa totam disquirere regionem. Super quo revocandum te duximus, et in virtute obedientiæ injungendum, ut infra Kal. Augusti dispositis rebus illis utiliter, ad monasterium revertaris, nisi vel infirmitate, vel tempestate marina fueris impeditus. Nosse etenim debes quod propensior cura animabus est impendenda quam rebus. Ideoque nisi infra diem assignatam veneris, nos tibi mandatum mittere severius oportebit.

46. *Ad Walterum Albanensem Episcopum.*

Querimoniam quam ex literis, quas mihi a vobis novissime destinatas accepi, gratam admodum habui: quia magis excitat gratiam, quam delictum arguere videbatur. Questus enim estis post aliquot Epistolas vestras, nullum vos a nobis accepisse rescriptum, et nos devotionem vestram inter cæteros, non nisi verbis communibus salutasse. In quo intellexi quod benignitas vestra multo desiderio ad complexum nobis mutuæ caritatis occurrit, quod ego multis quæsisse studiis, multis debueram obsequiis redemisse.

Et fecissem, nisi occasionem mihi contulisset absentia, quæ mihi semper hactenus optatum vestræ serenitatis invidit aspectum. Magnum erat mihi, si præsens in oculis vestris gratiam invenissem. Majus est, quod eam mihi ultro usque ad Occidentis novissima destinatis. Pulchrum sane et prædicandæ liberalitatis officium, nullis impensum meritis, nullis redemptum precibus, nullis beneficiis comparatum. Nihil in eo est quod beneficii minuat majestatem. Apud alios siquidem actus meræ liberalitatis evanuit, sed ubique inter contrahentes animos negotium geritur, dum spes creditrix et debitrix gratiæ res compensant. Magnum tamen est hodie, si quis amicorum meritis pari præmiorum compensatione respondeat, majus est omne meritum animi magnitudine prævenire. Prævenistis autem me, vestrumque tantæ dignationis æstimatione fecistis, per quam mihi judicium existimationis vestræ, et dilectionis exhibetis affectum. Multa igitur mihi de judicio existimationis vestræ crescit elatio, multa de confidentia gratiæ securitas ad omnes præparatur eventus. Magnum siquidem est judicium simul et gratiam meruisse prudentis, cum alterum illustret ad gloriam, alterum proficiat ad proventum. Quid ergo? Quid retribuam Domino meo pro his quæ attribuit mihi? Nempe totum devotionis affectum, quo nihil majus offerri, nihil impendi gratius, nihil potest pretiosius æstimari. Hoc etenim impenso totum impenditur, quicquid vel animus cogitando, vel operando corpus vel facultates conferunt erogando. Hoc igitur apud vos judicium mihi perseveret et gratia. Vobis nihilominus apud me promissæ devotionis non tepescet affectus, ut scilicet alter in alterius opportunitatibus monitore non egeat, sed zelum caritatis alternæ communicati officii probet effectus.

47. *Ad Episcopum Engolismensem.*

Lator præsentium filium minorem eunti ad scholas avunculo commendavit, ratus quod ipsum ad propensiorem pueri curam propinqui gratia sanguinis inclinaret.

Ille vero his quæ ad exhibitionem pueri comparata fuerant, profusius erogatis, puerum ipsum cuidam clerico nomine pignoris obligavit, licet contractus ejusmodi nec de jure teneret, nec bonis etiam moribus conveniret. Libera siquidem persona sine proprio consensu non potuit obligari, puerumque id ætatis consentire non posse, vestra peritia non ignorat. Cæterum non tantum sortis, sed etiam usurarum nomine retinetur, factumque tam enorme non a sæculari persona, sed a clerico quodam, ipsoque domestico vestro, vel domestici filio fieri prædicatur. Mirantur qui audiunt hæc a vobis inter ipsa sancti Episcopatus vestri primordia sustineri, quæ nec justitiæ rigor incorrepta relinquere, nec impunita debuit severitas Ecclesiastica præterire. Clericus etenim vester manifeste de plagio confitetur, sed et usuras quas detestatur Ecclesia nihilominus impudenter exposcit. Quod si usuras, quoniam odiosæ sunt, in sumptum exhibitionis impensæ puero malignitas astuta convertit, respondemus ubi principalis obligatio sublata est, puerum de accessoriis non teneri, sed eum injuriarum competere potius actionem, quod ingenuum puerum, liberalibus artibus applicandum, subductum patri, propositis non permiserit officiis applicari. Denique ego ovem meam a vobis, tanquam a judice, adversus confitentem de criminibus instanter exposco, vobisque providendum est, ut circa hoc vobis sinceritas famæ, nobis caritas fraternitatis, puero debitæ pietatis conservetur affec-

tus, quoniam si reum per culpam vestram, quod absit, contingat elabi, nos a reo fortassis in judicem actione subsidiaria convertemur. Quod si non ulciscendum delictum hoc, sed inter eos mansuetudo vestra potius decreverit componendum, patri jurato, quoniam vir bonæ opinionis est, fides indubitata poterit adhiberi.

48. *Ad Arnaldum Bonævallensem Abbatem.*

Literæ quas novissimas vestra mihi caritas destinavit, apud eum qui perferendas acceperat, aliquandiu substiterunt. Unde factum est ut eas non profecturi, nec proficiscentis acceperim, sed profecti: quem nec resalutare possem, nec si quid concepissem animo remandare. Feci ergo quod potui; holocaustum obtuli pro vobis medullatum, quod sua nimirum pinguedine complaceret, ipsamque oblationem devotus impinguaret offerentis affectus. Holocaustum, inquam, obtuli medullatum, in quo scilicet medullam divinitatis corporea species obumbraret, procedensque de intimi cordis medullis oratio suam sacrificio contineret melodiam: hic enim ille vitulus saginatus est, hic mons ille coagulatus et pinguis, hic Christus ille unctus oleo exultationis præ participibus suis, de cujus plenitudine licet omnes acceperint, ipsa tamen effusio non minuit effundentem. Nihil offerri preciosius, nihil efficacius potest, nihil ei qui offert, vel ei pro quo offertur utilius, si dignitati sacrificii personarum indignitas non obsistit. Oportet enim offerentem puras manus inferre, ne quod impreciabile est, omnique veneratione dignissimum, vel sub precii recidat vilitatem, vel causis indignioribus expandatur. Oportet eum pro quo offertur fide recognoscere, caritate complecti, prosequi desiderio, totamque sibi in

eo divinæ propitiationis fiduciam collocare. His autem concurrentibus utriusque partis versatur utilitas, ut qui pro aliis offerunt, pro seipsis inveniantur offerre. Magnum sane, prædicandumque beneficium, quod erogatum alii proficit, ipsumque nihilominus adjuvat erogantem. Quoscunque enim sacerdos effusa caritatis latitudine complectatur, totum simul omnium, totum uniuscujusque est singillatim, nec integritatem dividit communicatio plurium, nec soliditatem minuit participatio diversorum. Sic est: totus tibi Christus impenditur, totus mihi, totiusque in solidum te cohæredem hæreditatis admittit, quam totam mihi nihilominus repromittit. Quod enim spirituale est, neque terminis circumscribitur, nec aliquibus angustiis coarctatur, nec impensum rarescit impendio, nec aliqua potest integritatis suæ detrimenta sentire. Totum itaque pro vobis obtuli, totum proventui meo nihilominus reservavi, cum scilicet utrique sic cesserit in salutem, ut et iter vestrum cum prosperitate dirigeret, et mihi gratiam divinæ propitiationis augeret.

49. *Ad Ægidium Ebroicensem electum.*

Benedictus Deus qui ad Episcopale vos vocat officium, et ad onera nostra pariter comportanda conducit. Gaudemus plane vestra ad honorem debitum merita promoveri, sed majore gaudio commovemur, quia sapientiam vestram ex hoc nunc totam scimus utilitatibus Ecclesiæ mancipari. Me vero commune gaudium justum est speciali lætitia celebrare, quia personam meam bonitas vestra speciali semper dilectione complexa est, et ego ad honoris vestri proventum totis semper desideriis anhelavi. Concurrebant siquidem hinc inde alterna mutuæ caritatis officia,

cum alter non magis suis quam alterius optaret opportunitatibus inservire. Bene autem nobis in hac parte providentia divina consuluit, quod cum sapientiam vestram ad alias partes multorum desideria traherent, ipsa vos nostræ præsertim provinciæ reservavit. Justum sane est ejus vos potissimum obligari muneribus, ejus necessitatibus inservire, quæ vos suis aluit uberibus, suo fovit amplexu, suis honoribus ampliavit. Mihi vero benignius indulgentia divinæ propitiationis arrisit, quæ me ab amico nec diversitate professionis abjunxit, nec locorum distantia separavit, sed nos quasi contigua positione conjunctos, ad frequentes comparavit occursus, ut ad communicanda profusæ caritatis officia ipsa locorum occasio serviat, et propinquitati corporum nihilominus propinquitas respondeat animorum. Interim profusis desideriis et devotis orationibus arbitror insistendum, ut initia consecrationis vestræ divina benignitas felici secundet auspicio, et ad executionem Episcopalis officii vos exuberantis gratiæ virtute confirmet.

50. *Ad Ricardum de Almar. Præcentorem Lincolniensem.*

Licet pro latore præsentium A. vestræ præsens supplicaverim caritati, preces tamen censui literis prosequendas, ut quantitatem desiderii mei tam vivæ vocis alloquium, quam literarum instantia declararet. Sperat hic impetratis a me literis, a vobis impetrasse quod postulat, quia quasi certus est preces meas apud dilectionem vestram optato nullatenus frustrandas effectu. Cumque solus caritatis affectus omnem possit inter nos formasse fiduciam, accedit tamen quod utilitatis vestræ detrimenta non quæro, quamvis gratia mea vestro judicio quælibet plurimo pro-

ventu dispendia recompenset. Facietis itaque cum hilaritate quod petitur, ut ipsa facilitate meriti quantitas augeatur, quia sæpius officii liberalis exhibitio creat vel firmat amicitiæ veritatem. Licet enim ipsa in sua simpliciter puritate consistat, tamen extrinseca frequenter accessione distrahitur, adeo ut injuriis irritata deficiat, et quasi delinita beneficiis convalescat. Porro ipsa plerumque beneficiis odia conquiescunt, et mirabili mutatione in contrarios vertuntur affectus. Siquidem necesse est diligas quem odisti, si eum ad meliorem affectum a pristina malitia transisse cognoveris, affectumque tuum aliena sibi formidabit affectio, ut semper diligentem diligas, et oderis odientem. Oportet igitur ut sibi invicem bene utriusque conscientia respondeat, ideoque ultro citroque absconditæ voluntatis argumenta procedant, quia operibus credendum esse ipsa nos Evangelicæ doctrina veritatis instruxit. Semper diligentis animus ad alterius est, quam ad sua vota propensior, et præveniri desidiam reputans tota semper festinat diligentia prævenire.

51. *Ad Papam Alexandrum de dissolutione Monasterii Gristanensis.*

Est in Episcopatu cui, Deo permittente, deservio, monasterium quoddam nomine Gristanense, quod aliquando suavitatis odorem circumquaque diffudit, sed in diebus Abbatis istius merita diu laboravit infamia, sicut præsentes vidisse constat et remotos audisse. Nec enim infra domesticos parietes contineri scandala potuerunt, quæ procedente temeritatis audacia, publicis offerebantur aspectibus, et per ora publica personabant, quoniam fratres loci illius ab operibus ejusmodi nec timor Dei, nec hominum reve-

rentia cohibebat. Quorum quanto major immanitas extitit, tanto latius celeriusque fama discurrente vulgata sunt, majoremque apud omnes contraxit offensam, quod palam tanta a sanctuario procedere malicia videretur. Siquidem nulla vel modica erat intrinsecus regularis observantia disciplinæ, minor extrinsecus exhibitio caritatis, quia nec hospites agnoscere consueverant, neque quicquam pauperibus impartire, sed ipsas etiam communis mensæ reliquias, ad impendendum privatis affectibus dissolutionis impudentia reservabat. Parva sunt hæc, sed ad sanguinem prorupit insania, ut a nulla specie criminis manus eorum servarentur immunes. Constat eos in claustro strictis invicem concurrisse cultellis, sicut cicatrices vix obductæ, et recentia quoque vulnera protestantur. Ac nisi de cultellis eorum pugionem provida sustulisset antiquitas, sæpius usque ad alternas etiam mortes intemperantia desævisset. In monasterio ipso immersam aquæ frigidiori mulierem vis algoris extinxit. Ut enim miracula facere crederentur, et quibuslibet commentis sæcularium personarum frequentes invitarent accessus, sanitatis remedia promittebant ei qui se incantatæ ab eis, nescio quibus carminibus, aquæ septies sustineret immergi. Ægra itaque mulier aquæ glaciali frequenter immersa inter manus comprimentium monachorum congelata decessit, dum vim algoris ægritudo non sustinet, et profana religio naturam potius irritat ad perniciem, quam Dei misericordiam ad salutem. Ministrum coquinæ cum debitum pronus exequeretur officium, quidam e monachis interfecit, quia dicebatur aliquando de nimia illius circa uxorem suam frequentia murmurasse. Cervicem itaque ipsius adacto totis viribus pistillo grandiore confregit, et innoxio sanguine pulmenta, quæ tam ipsi, quam

cæteris fratribus parabantur, aspersit. Super quibus cum ego sæpius Abbatem caritate debita commonerem, nec enim severius cogere permittebar, dissimulandum potius, quam distinctione monastica censuit occurrendum. Dedit itaque dissimulatio remissa fiduciam, quia sibi nihil non licere credebant, quos nec ratio propria, nec aliena correptio refrænabat. Porro nulla Abbati disciplinæ restabat auctoritas, quia etiam a reprobis eorum disciplina contemnitur, in quibus bene compositæ mentis opera non videntur. Augebat audaciam quod eis in claustro necessaria non dabantur, sed ad recompensationem subtractæ necessitatis liberior eis evagandi licentia laxabatur. Solent enim hujusmodi personæ patientius inopiam portare quam regulam, et a Prælatis suis peccandi libertatem quantalibet egestate mercantur. Ad hæc, ut nulla eis effluendi deesset occasio, Abbas sæpius quasi ad disponenda bona monasterii navigabat in Angliam, ubi sine consorte degens et judice, gulæ et lateri sicut dicebatur indulgens, parum aliquid præter vagos discursus, et lites supervacuas exercebat. Ubi novissime per continuum fere biennium demoratus, Episcopalis edicti necessitate reductus est, statumque monasterii deteriorem satis quam reliquerat reversus invenit. Cumque statim cœpisset monachorum contentionibus infestari, festinantem redire prohibui, nisi ordinato monasterio prius mihi personas idoneas quæ curam gererent vicariæ sollicitudinis assignasset. Ipse vero Episcopali, qua ei præmineo, auctoritate neglecta, et debito obedientiæ, de cujus exhibitione vinculo juratæ professionis tenetur astrictus, sine conscientia mea reversus est, nemine domi relicto qui sciret vel curam ordinis gerere, vel temporalia dispensare. Quod statim miserabiliter ipse rerum declaravit eventus, quia is quem Procuratorem reli-

querat, ebrius in Refectorio super cœnam duos de fratribus cultello percussit, atque ab eis est incontinenter pertica, quam casus obtulit, interfectus. Quo facto veterum criminum renovata memoria, ab omnibus omnia quasi sub unum reducebantur aspectum, omnesque publicæ existimationis et famæ judicio condemnati sunt, quia nullus erat quem nocentem non fecisset operatio vel consensus. Itaque ejiciendos omnes plerique dixerunt, et personas novi ordinis penitus inducendas, ut et in istos vindicaret ejectio, et ordinis observantiam novorum institutio restauraret. Porro ego ejectis interfectoribus, quia sic tam ratio, quam metus potentiæ sæcularis exegit, ad momentum quæ mihi visa sunt disponenda disposui, nec enim quicquam perpetuum constitui poterat, cum de nullo eorum satis bene vel fama vel conscientia responderet. Feci tamen quod potui, donec fortiore consilio possit omnis plantatio, quam pater celestis non plantavit, avelli. Vestris hoc reservatur manibus, vestris erit viribus adimplendum, quia ei quod radices altius egit manus non prævalent imbecilles. Super quo si ad communia totius fere regionis vota respicitis, ii quos ad perpetuam dissolutionem par convictus, alternique consensus gratia fœderavit, segregandi sunt, et sigillatim per regularia monasteria dispergendi, ut occasionem peccandi, quam de pravæ familiaritatis consortio quæsierunt, apud ignotos de divisione et diversitate conversationis amittant. Commune votum est, ipsique etiam Principi complaceret, in regulares Canonicos monasterium transformari, ut ipsa species ordinis innovata, plenius omnem possit tollere vetustatem, et cætera exempli severitate monasteria terreantur. Sunt enim aliqua, quorum in tantam dissolutio prorupit audaciam, ut confusionem suam deprehensa etiam non agnoscat iniquitas, sed

induratis frontibus semper obstinatio convalescit. Sic autem locus ille in statum dignioris ordinis exurgeret, et ubique semper quasi præsens esse Apostolica severitas crederetur. Præterea provinciam nostram frequentibus monasteriis, ipsisque nobilibus certum est abundare, Canonicas regulares paucas habet, ipsasque pauperrimas, adeo ut ad quærendum ordinem illum plerunque nostrates oporteat ad regiones extraneas demigrare. Bonum itaque plerisque videretur, si paucitas monachorum dissoluta in multitudinem regularium excresceret clericorum, et collocatis utiliter eis qui ab institutione materna descivisse noscuntur, cæteri materno possent gremio contineri, ne tanquam ablactati ad ignotarum matrum severiores depellantur amplexus. Siquidem hoc facto in nocentes utilis vindicta procedet, quæ sublata corporibus peccandi licentia, totum ad salutem conferet animarum, et ad consecranda novellæ plantationis auspicia proniora favoris publici vota concurrent.

52. *Ad Abbatem Gristanensem.*

Quot scandala, quæ detrimenta domui tuæ ex causa absentiarum tuarum provenerint, tua fraternitas non ignorat. Super quo cum rem ad nostram certum sit diligentiam pertinere, præcepimus te vagos cohibere discursus, et debitas super gregem tibi commissum vigilias vigilare: nec ad remotas discedere regiones, nisi prius disposita domo personas nobis assignasses idoneas, quæ curam domus interim gerere possent, eique in spiritualibus et temporalibus utiliter providere. Tu vero neglecta Episcopalis auctoritate mandati, immo tua et animarum tibi commissarum salute postposita, sine nostra conscientia discessisti, nemine domi relicto: cujus res aut

providentia dirigi posset aut diligentia gubernari. Unde sicut ad tuam credimus notitiam pervenisse, tot in eodem loco postmodum probra commissa sunt, ut et regionem nostram scandalizatam esse constet, et monasterium turgiter infamatum. Per præsentia itaque scripta tibi mandamus, ut infra vicesimam diem post acceptionem præsentium literarum, remota omni occasione redeas, nisi aut maris inclementia, aut corporali, quod absit, fueris infirmitate detentus. Alioquin ex ea die ab officio altaris et introitu omnium Ecclesiarum, ea qua tibi præminemus, te noveris auctoritate suspensum.

53. *Ad Laurentium Westmonasteriensem Abbatem.*

Pro Simone nostro gratias vestræ refero caritati, quia ipsum innatæ vobis bonitatis oculo respexistis, ipsique beneficium non temporale, sed in longiora duraturum tempora provida munificentia præstitistis. Magnum est quod ad horam subvenit indigenti, majus quod in dies annosque renascitur, quod ut sæpius conferat frequenti revolutione denuo reformatur. Sane beneficium hoc non minuitur tempore, sed augetur, proventusque perseverantiam redivivæ conservat industria largitatis. Multa simplicem donationem commoda prosequentur, totiesque donatum iri videbitur, quoties novi redeuntium fructuum manipuli congerentur. Majus etiam est jus aliquod donasse quam corpus, quoniam jura frequenti perceptione subnixa sunt, simplici vero traditione cujuslibet corporis donatio consummatur. Jus dedistis, ne citius munificentiæ vestræ gratia præteriret, ut sicut apud vos virtutis non tepescit affectio, ita prorogata in perpetuum liberalitatis vestræ beneficia convalerent. Præterea liberalitati prudentia discre-

tionis accessit, quoniam ei dedistis, cujus vobis honestas, cujus industria, cujus sedulitas officiosa complacuit. Nec ignotæ personæ, nec inutili contulistis, si ei cujus merita præcesserant et sequentur, qui vobis animo et corpore ad cumulum gratiarum referat actiones, ut jure debeatis de exteriori fructu et conscientiæ testimonio gloriari. Ego tamen impensum quod fecistis potius mihi reputo, quia quod prius differebatur, ad prima statim intercessionis meæ verba concessum est, ut meam specialiter ex eo videremini gratiam affectasse. Sane major extitit in exhibendo donatoris hilaritas, quam in accipiendo desiderium postulantis. Pulchrum sane et prædicandum beneficium, nulla suspensum dilatione, nullis redemptum precibus, nullis meritis comparatum. Nihil in eo fuit quod beneficii minueret majestatem. Prævenistis me qui omnes occasiones venari decreveram, ut vos impenso quolibet liberaliter officio prævenirem. Igitur me debitorem me magnificentia vestra constituit, ut ex hoc nunc solvere debeam, non donare: quia quod bene merenti rependitur, illustrari donationis nomine non meretur.

54. *Ad Dominum Henricum Remensem Archiepiscopum.*

Philippum vestrum de Chaumont cum apud nos in Rothomagensi moraretur Ecclesia, honesta conversatio notum nobis reddidit et acceptum. Accedebat ad gratiam quod in actibus ejus Regii sanguinis excellentia refulgebat, dignamque tanta nobilitate liberalis prudentia formabat industriam, ut alios sicut genere, sic moribus excedere videretur. Traxit eum et desideriis nostris abstulit magnitudo vestra, ut propinquis genere fieret conversatione propinquior,

vestrisque cujus totus est mancipatus obsequiis, apud magnificentiam vestram doctrinæ proventum faceret et fortunæ. Exultavit igitur, et se in multis beneficentiam vestram sensisse gavisus est, tanto sane alacrior, quanto de primiciis gratiæ vestræ major poterat de futuro fiducia provenire. Interim tamen, sicut ipse lachrymose conqueritur, mota est adversus innocentiam ejus vestra serenitas, et a concepta spe elongatus est aliquantulum amicus et proximus, nisi quia desperationem excludit sinceritas conscientiæ, et vestræ si quid admissum est humilis et devota patientia disciplinæ. Præelegit enim apud misericordiam vestram deprecationis partibus uti magis quam contentiosis excusationem litigiis instaurare, quia sicut magnanimitas vestra superbiæ cedere nescit, sic humilitati non sustinet obviare. Sane dum nobiscum esset, intellexit sæpius quod plurimam nobis in oculis vestris gratiam bonitas divina contulerat, quæ tanto prædicabilior est, quanto de gratuita liberalis animi vestri bonitate procedit. Preces itaque nostras de longinquo quærendas censuit, ut eas possit nobis velut aliquod acceptabile munus offerre, quatenus nostra culpam ipsius, si qua est, intercessio redimat, et ad indulgentiam motum severitatis inclinet. Siquidem gloriosum erit vobis tantam apud majestatem vestram gratiam gratiæ plenitudinem invenisse, ut etiam a nobis in alios copiosæ dilectionis vestræ redundet ubertas.

55. *Ad Dominum Papam Alexandrum* [*post mortem Beati Thomæ.*]

Carissimo Domino et Patri Alexandro Dei gratia Catholicæ ecclesiæ Summo Pontifici Arnulfus

Lexoviensis ecclesiæ humilis minister, salutem et debitam cum omni dilectione obedientiam.

Cum apud Regem nostrum pariter congregati de magnis Ecclesiæ, Regnique negotiis tractaturi crederemur, subitus nos de Domino Cantuariensi rumor lamentabili mœrore perfudit, adeo ut in momento securitas in stuporem, et consultationes in suspiria verterentur. Per aliquos enim ab Anglia revertentes certa relatione didicimus, quod quidam inimici ejus, crebris, ut aiebant, exacerbationibus ad iracundiam et amentiam provocati, temere in eum irruptione facta, quod sine dolore dicere non possumus nec debemus, personam ejus aggredi et trucidare crudeliter perstiterunt. Ad Regis denique notitiam rumor infaustus quibusdam perferentibus penetravit: quoniam ei non licuit ignorare, quod ad ejus vindictam jure Potestatis et gladii videbatur specialius pertinere. Qui statim in primis nefandi sermonis initiis ad omnia lamentationum et miserationum genera conversus, Regiam prorsus Majestatem quasi cilicio immutans et cinere, multo fortius amicum exhibuit, quam Principem, stupens interdum et post stuporem ad gemitus acriores, et acerbiores amaritudines revolutus. Tribus fere diebus conclusus in cubiculo, nec cibum capere, nec consolatores admittere sustinuit, sed mœstitia perniciosiore voluntariam sibi perniciem indicere pertinaciter videbatur. Miserabilis erat malorum facies, et anxia vicissitudo dolorum: quoniam qui Sacerdotem lamentabamur primitus, de Regis salute consequenter cœpimus desperare, et in alterius nece miserabiliter utrumque credebamus interiisse. Porro querentibus amicis, et Episcopis maxime, quod eum ad se redire non permitteret, respondit se metuere ne sceleris auctores et complices veteris rancoris confidentia impunitatem sibi

criminis promisissent: licet ipse novas inimicitias recentibus injuriis et frequentibus maleficiis compararet, arbitrari se nominis sui famam et gloriam maledictis æmulorum respergi posse, et confingi id ex ejus conscientia processisse, sed omnipotentem Deum se testem invocare in animam suam, quod opus nefandum, nec sua voluntate, nec conscientia commissum est, nec artificio perquisitum, nisi forte in hoc delictum sit, quod adhuc minus diligere credebatur. Super hoc quoque se judicio Ecclesiæ prorsus exponere, et humiliter suscepturum, quidquid in eo fuerit salubriter statuendum. Communicato igitur consilio in hoc universorum consultatio conquievit, ut sedis Apostolicæ sapientiam et auctoritatem consuleret, quam spiritu sapientiæ, et potestatis plenitudine Christiana fides prædicat abundantius redundare, et apud eam suam studeat innocentiam modis legitimis et Canonicis approbare. Supplicamus ergo, quatenus secundum datum a Deo vobis spiritum consilii et fortitudinis tanti sceleris auctoribus secundum facti immanitatem severitas vestra retribuat, et suam innocentiam Regi pietas Apostolica in statu suo velit affectuosius conservare. Omnipotens Deus Personam vestram Ecclesiæ suæ per multa tempora conservet incolumem.

56. *Ad Dominum Papam Alexandrum, pro Gilberto Londoniensi Episcopo.*

Personam domini Londoniensis apud excellentiam vestram diligentius commendare supervacuum duxi, quia quod publice notum est, nec accusatione solemni, nec multa commendationis instantia certum est indigere. Siquidem plenitudo virtutis ejus et scientiæ tot apud nos enituit argumentis, tot subnixa

suffragiis, tot utilitatibus approbata est, ut quod in multos dignatio divina distribuit, hoc in ipsum majoris affluentiæ gratia cumularit. Tractus est tamen jam diu homo sanctus in causam, et sermonibus odii circumdatus, et expugnatus est gratis, et invidiæ quæstionibus infestatus. Tractus est, inquam, homo sanctus in causam; si tamen causa dicenda est, ubi nullam potuit contradictio facere quæstionem, ubi nullum litigium, nulla judiciarii ordinis forma processit: ubi sine reo et teste idem actor et judex solitariam formavit de singulari voluntate sententiam. Felicem se iste et omni donatum beatitudine judicaret, si ei judex suus auditorii communis aream impertisset, si citatus venire, si conventus respondere, si denique dubium experiri potuisset sententiæ fatalis eventum. Sed in ipsum de alio regno, de transmarinis partibus, de longinquo scilicet velut in occultis sagitta transmissa est, et hostis dum prævideri metuit, gladium protinus capiti nescientis illisit. Solent patres filiorum delictis virgam prius adhibere quam baculum, et si correctio moderata non proficit, severiora postmodum flagella consumunt. Utilius fuerat pepercisse personæ, in quam se noverat totam scandalizare provinciam, quia ad bonum pacis non tam pœna unius, quam multorum gratia profuisset. Videtur de motu animi magis quam de caritate processisse quod factum est, quia totam se protinus ad pœnam irrogandam potentia præsidentis effudit, nihil reservans in posterum, in quo vel dispensare prudentia posset, vel misericordia subvenire. Fuerat fortassis primum ab Episcopali suspendendus officio, ab altaris ministerio prohibendus, a liminibus sequestrandus Ecclesiæ, ut contumax novissime gladio feriretur: nec ad perniciem fratris libentius cucurrisse, sed cogi videretur invitus. Neque enim salutem

hominis velle credendus est, qui festinat ad sanguinem, sed delinquentes Ecclesiastica etiam censura præmunit, ut scilicet liberentur dilecti, quos preciosi sanguinis redemit effusio, et fugiant a facie arcus, ut in contumaces tantum spicula superbe provocata descendant. Quod si etiam certum sit transitum litteris et legatis ad eum pervium non fuisse, sed omnem viam legitimis edictis sæcularis potentiæ terrore præclusam, delictum alienum innocentiæ istius præjudicare non debuit, nec ipsi de jure potuit pœna quam non merebatur infligi. Veruntamen est delusa potestatis astutia sagacitate perferentium aliquas ad ipsum literas, et mandata venisse, quibus tota diligentia paruit, omnibus scilicet vel denuntiatis publice, vel effectui debito mancipatis. Porro si in tanto discrimine rerum consulenda videretur præsidentis auctoritas, nuntiis hujus ad eum omnis negabatur accessus, nullumque paternæ caritatis extabat indicium, ubi ei consilii gratia simul et remedii copia tollebatur. Ad hæc nobis qui rerum veritatem ex magna parte tam experimento, quam fideli de proximo relatione cognovimus, licet apud majestatem vestram de pura testimonium conscientia perhibere, virum inter minas alterius potestatis et alterius insidias constitutum, quatenus ad eum pervenire potuit, Ecclesiasticis semper præceptionibus obedisse, nec ab initio discordiæ causam, vel postea fomentum aliquod audaciæ præstitisse. Ille vero, sicut dictum est, non observata causa, vel ordine virum, cujus laus est in Ecclesia, ad scandalum omnium bonorum in facie confudit Ecclesiæ, et animam sanctam amaritudine simul et mœrore complevit. Benedictus autem Deus, qui adversus hujusmodi sanctam Romanam Ecclesiam nobis ad solemne refugium, et remedium salutare constituit, ut ejus scilicet præ-

sulatu reducatur ad formam, quod cujuslibet insolentia vel imperitia denigravit ad culpam. Siquidem quod actum fuerat vestræ nimirum discretionis auctoritate correctum est, accepto scilicet ab isto juramento, quod in tempore vobis complacito, super his de quibus agebatur, mandatis Apostolicis obediret. Stabat ergo vir innocens sub vestri securus expectatione mandati, sed posterior emissa est severior quidem priore sententia, nulloque mandato, nulloque præmisso cujuslibet vocationis aut conventionis alloquio, in idem vinculum, immo fortius literis majestatis vestræ retrusus est, eique remedium mansuetudinis vestræ in quo respirare cœperat est ablatum. Mirati sunt qui audierunt tantum adversus innocentiam personæ, tantum adversus ordinem jurisprudentiæ vestræ subripi potuisse, cum ipsum a religione juramenti nullatenus descivisse constaret, nec ipsum postmodum in aliquo judicialis experientia condemnasset. Certum est, et omnibus regni illius incolis manifestum, hominem sanctum in his quæ male acta sunt nihil voluntate, nihil consilio, nihil ope deliquisse; eique generale testimonium de pura omnium conscientia perhibetur, ipsum Ecclesiasticis semper præceptionibus fideliter obedisse. Sane verum est tam ipsum quam alios incumbentis potentiæ vehementiam timuisse, majorisque periculi necessitate compulsos dissimulasse plerumque, et sæpius exhibuisse modestiam quam rigorem, et tanquam seductores motum potestatis consultis aliquando blandiciis delinisse, ut eis veritatem justitiæ, quatenus id fieri poterat, puritas conscientiæ reservaret. Profecto in articulo diei illius vidimus statum Ecclesiæ partium nostrarum sub tanto discrimine constitutum, ut scissuræ quantitatem nulla potentia, nullæ divitiæ, nulla posset ad plenum diligentia resarcire: nec exsors

tanti mali ipsa etiam Romana Ecclesia præterisset, nisi incendium quod excrescebat Pontificalis temperantia restinxisset. Super quo quantas possumus de intimo cordium sanctæ providentiæ vestræ gratiarum referimus actiones, quod paterna nobis clementia pepercistis, et malum a nobis longanimi patientia studuistis avertere, quod nostris credebatur proculdubio cervicibus imminere. Inde est quod post multos metus laboresque diutinos, et naufragium imminens, portus nobis securitatis et tranquillitatis incipit apparere, certaque spe per merita vestra lætos exitus, et jocundos præstolamur eventus. Porro licet personam pro qua scribimus facile sit in omnibus excusari, testimonia tamen et preces venerabilium personarum benignitati vestræ credidit offerendas, quæ nulla unquam audacia vestram attentarent in aliquo fallere sanctitatem. Quod si ad omnimodam fidei firmitatem ulterius procedendum crediderit vestra discretio, paratus est coram legatis vestris aut personis quibus hoc vobis delegare placuerit, omnem a se culpam manifesta veritate depellere, et si res altius discussæ fuerint, invenietur in plerisque laudem quoque plurimam sagaci solertia meruisse. Affectabat omni desiderio ad vestram venire præsentiam, idque jam secundo an posset expertus est, sed progressum aliquatenus ætas provectior, personæ gravitas, difficultas itineris, et senectuti semper cognata debilitas reduxerunt. Ad hæc non solum nostra pro eo, sed totius regni, immo etiam regnorum desideria, pietatis vestræ genibus advolvuntur, ut secundum datum vobis a Deo spiritum, justitiam ejus conservetis illæsam, aut si quid etiam imperfectionis est, oculi vestri videant æquitatem, quia nihil de indulgentiæ beneficio consequetur, quod non excedentia personæ merita recompensent. Et nos quidem

ista ad nullius sugillationem, sed ad hujus proventum scribenda censuimus, quia et huic Apostolica poterit gratia providere, et aliis nihilominus de ejusdem discretionis et mansuetudinis copia subvenire.

57. *Ad Johannem et Willelmum Cardinales, pro Rogerio Eboracensi Archiepiscopo.*

Qua fide, quo studio, quo affectu, circa initia tempestatis istius ad unitatem Ecclesiæ, et honorem Romani Pontificis dominus Eboracensis intenderit, vestra qui ex magna parte vidistis et audistis, prudentia non ignorat. Meruit excedentem gratiam excedens strenui propugnatoris audacia, sibique invicem frequentibus officiis tam operum magnificentia quam rerum munificentia concurrerunt. Præsumebat non defuturam gratiam perseverantiæ meritorum, sed jam pristina perseverantibus meritis gratia non refulget, verum in pœnam quoque conversa est ipsorum expectatio præmiorum. Perseverat tamen semper, et aliis tepescentibus ipsius devotio non tepescit, quia videt totam nondum conquievisse malitiam, et ab his quorum fides invictissima credebatur, profana consilia percussis etiam fœderibus agitari. Utinam ad notitiam Romani Pontificis et vestram, relatione veridica perveniret, quantum noviter apud Principem nostrum, Regem loquor Anglorum, Catholici sacerdotis industria sancta profecit, cum eum scilicet ad schisma maximi quoque Principum invitarent, ipsumque metus severitatis Apostolicæ perterreret. Siquidem virtus ejus præcipue nobis nimirum et aliis annitentibus, eum in fide et obedientia Ecclesiæ confirmavit, seque Romano Pontifici pariturum super eo casu quem audistis, quantum dictaverit ratio, vel laxaverit misericordia, coram

multis Ecclesiasticis sæcularibusque personis publice in manu Rothomagensis Archiepiscopi fide corporaliter interveniente firmavit. Porro ipse ad visitandam Romanam Ecclesiam plurimo jamdudum desiderio tractus est, ut ope et consilio vestro motum majestatis Apostolicæ, si quem adversus eum de falsa suggestione contraxit, revocaret in gratiam, ipsique et vobis in omnibus sinceritatem conscientiæ suæ certissimis indiciis approbaret. Accingebatur jam, cum a Rege ipso et nuntiis ejus, qui noviter a vobis reversi sunt, terribile percepit indicium, Imperatorem scilicet ipsum singulariter excepisse, cum aliis, interventu Regis, securitatem transitus indulgeret, quia scilicet præsumpserat in personam ejus anathematis intorquere sententiam, et nomen ejus in omnibus quos frequenter celebraverat conventibus Ecclesiasticis infamare. Providete itaque amico vestro, nec illum ad partes illas aliqua necessitatis instantia trahi, neque caput ejus tot tantisque periculis permittatis exponi. Ad hæc, bonum est Ecclesiæ Dei viros fideles juxta infideles aliquando commorari, ut ipsorum virtute et prudentia malitia reprimi possit, et inconstantia contineri. Profecto apud nos prævaluisse credebatur iniquitas, nisi sacerdotum industria restitisset, per quos repressa viriliter intemperantia requievit: et ad unitatem quos velut in fugam terror Ecclesiasticæ potestatis impulerat, sunt reversi. Nondum tamen navim nostram portum perfectæ securitatis credimus obtinere, quin adhuc et anchora possit de percepta statione convelli, et navis ipsa rursus ad procellas pristinas flatu malitiæ revocari. Utilius ergo fore credimus eos qui providere possunt non amoveri, sed ad solertem vigiles adhibere custodiam, ut quoslibet eventus prudenter et instanter observent, et momentaneam hominum fidem necessaria stabilitate confir-

ment. Ad quod virum de quo scribimus multis experimentis novimus efficacem, eique ad referendas vobis gratiarum actiones majorem devotio, quam vexatio tribuat intellectum.

58. *Ad Dominum Papam Alexandrum, pro Joscelino Salesberiensi Episcopo.*

Pro venerabili patre nostro, et amico carissimo Joscelino Salesberiensi Episcopo, majestati vestræ preces affectuosas offerimus, et benignitati devotas gratiarum exsolvimus actiones. Pepercit ei misericordia vestra, parcendumque impotentiæ ejus ratio postulabat, quia gravitate corporis, ætatis provectu, debilitate plurima circumventus, quantum æstimare possumus ad vestram non posset præsentiam pervenire. Super eo autem pro quo graviorem ei vobis placuit irrogare sententiam, quantum de intimo conscientiæ ejus, quantum de opinione et attestatione publica, quantum de propria existimatione præsumimus, quod ad factum illud lamentabile pertinet, omnino credimus innocentem: quia nec honestas hominis, nec liberalis animi nota mansuetudo, nec adeo tot informata temporibus, tot experimentis altius erudita providi senis prudentia descivisset. Porro voluntas illa ab his a quibus opus illud tam malitiose commissum est, omni studio servabatur abscondita, ne cujusquam præscientia concepti maleficii præpediret effectum. Quis vero qui ejusmodi malitiæ concepisset affectum personæ cuiquam, præsertim Ecclesiasticæ revelaret, cum non in unius tantum caput stringi gladius, sed in cervicem totius Ecclesiæ videretur. Vidimus nos virum istum pro quo scribimus, in initio tempestatis inter Coepiscopos scopo illi studiosius adhærentem, multasque injurias

pro libertate Ecclesiæ et ipsius gratia pertulisse. Quæ sane ei apud eum perseveravit gratia, donec Reginaldus Archidiaconus, qui huic ea quam scitis etiam sanguinis affectione devinctus est, regalibus mancipatus obsequiis, regalia cœpit ad vos mandata deferre, quæ utilitatibus Archiepiscopi credebantur in aliquibus obviare. Decretum est igitur patrem punire pro filio, ut eum ab obsequiis illis paterni compassio doloris averteret, vel in utrumque gravior animadversio vindicaret. Utinam ille zeli fervorem temperasset ad tempus, quia in causa Ecclesiæ quam susceperat solerti mansuetudine utilius proficere potuit, si pacificus esset ingressus ejus, si suas vindicare distulisset offensas, neque repentinis infestationibus jocunda novæ coronæ gaudia demigrasset. Sane de eo quod de corona factum est, Episcopi neque tunc, nec adhuc se credunt in aliquo deliquisse, quia sicut aiunt literarum vestrarum præcessit auctoritas, et eos ad hoc ipsum multis exemplis antiquitas informabat. Si tamen in hoc eos aliqua in parte deliquisse constaret, delicti tamen quantitas bonitatis Apostolicæ misericordiam non excedit, et de reliquo secundum assignatum a sanctitate vestra modum, de hujus innocentia diligentiæ vestræ remota prorsus ambigüitate constabit. Supplicamus igitur precesque jam cum fiducia ducimus offerendas, quia ex hoc nunc tempus est miserendi, et post diutina flagella paternæ pietatis visceribus abundare. Absit enim a benignitate vestra ut personam venerabilem, tot acceptam bonis, tot laudibus illustratam, novissima senectutis suæ in mœrore faciat et amaritudine consummare. Profecto preces nulla nos audacia compulisset offerre, nisi secundum rerum veritatem, et personæ meritum ipsum Apostolica dignum misericordia crederemus.

59. *Ad Baldewinum Novionensem Episcopum.*

Venerunt ad nos sacerdotes quidam de Episcopatu vestro, quos ad fraternitates constituendas, et faciendas collectas ad reædificationem Ecclesiæ nostræ, quia periti et instructi super hujusmodi officio dicebantur, duximus retinendos. Cum autem perlustrato Episcopatu apud nos aliquandiu resedissent, omnes fere quasi facto agmine fuga clandestina discesserunt. Me quidem in summa majore xxx librarum suis fidejussorio nomine obligatum creditoribus relinquentes, quas ego nimirum omnes servata promissionis meæ veritate persolvi. Sed et latori præsentium R. sacerdoti nostro eadem fraude LXX solidos abstulerunt, cum ipsi nobis tactis sacro-sanctis Evangeliis juramentum corporale, se fidem bonam nobis servaturos in tota executione negotii, præstitissent. Super quo carissimam nobis fraternitatem vestram obnixius exoramus, non tam sane recuperationem pecuniæ, quam vindictam tantæ fraudis et injuriæ persequentes, ut nobis justitia vestra satisfieri faciat, et tantum crimen animadversione debita corrigatis.

60. *Ad Ægidium Ebroicensem Episcopum.*

Super causa quæ inter nos et Abbatem illum vertitur, dilectionem vestram ad præsens non oportet esse sollicitam, quia vos nec infestum Principi, nec ingratum Abbati reddere volumus aut debemus. Apud alium decrevimus experiri, quem non tam facile vel metus absterrere possit, vel fallaces blandiciæ delinire. Sicut autem ex literis promptum est intueri, nequaquam vos ab executione major retardat auctoritas, neque necessitatem nisi volenti supplicatio precantis indicit. Quod si de Abbatissa vobis idem

constat esse propositum, pro beneficio reputabimus si nos præmunire voluerit, nec ad locum diemque præfixum frustra permiserit vestra gratia fatigari. Porro simpliciter ambulare non potest qui lubricos tortuosi serpentis explorat anfractus, qui cum se plurimum profecisse crediderit, ad ipsa callide se sentit initia revolutum.

61. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Causam quæ inter venerabilem fratrem Hugonem beati Vincentii Silvanectensem Abbatem et Garnerum sacerdotem super Ecclesia de marinis vertebatur, domino Henrico Silvanectensi Episcopo et nobis Apostolica delegavit auctoritas infra spatium duorum mensium, remota appellatione, ordine judiciario decidendam. Nos vero utrique parti infra tempus nobis assignatum, locum et tempus præfiximus opportunum, et adhibitis nobiscum religiosis et prudentibus personis, scilicet sancti Victoris Parisiensis, et sanctæ Genovefæ, et Augensi, et de Mortuomari Abbatibus; Gaufrido quoque Autissiodorensi et Ricardo de Curæio et Ric. tunc Constantiensi Archidiacono nunc Abrincensi Episcopo, multisque aliis tota fide et diligentia mandatis Apostolicis studuimus obedire. Abbas igitur qui actoris in ea causa fungebatur officio, et possessorium in sacerdotem judicium intendebat, super quæstione facti multorum testimoniis usus est, ac tandem septem præelectos testes, quinque scilicet sacerdotes regulares Canonicos, et duos alios presbyteros experientiæ nostræ proposuit, quos diligenti examinationi subjectos, in omnium prorsus invenimus testificatione concordes. Auditis quoque nihilominus allegationibus sacerdotis ei dicendi in personas testium quod vellet

fecimus potestatem, sed multis propositis, et attente discussis, nihil inventum est per quod aliquem eorum repellere posset, vel existimationi alicujus in aliquo derogare. Receptis itaque septem prætaxatorum testium juramentis, Abbati possessionem Ecclesiæ restituimus, quia visum est nobis debere de veritate tot taliumque testium assertione constare. Sacerdos autem nihilominus audientiam Romani Pontificis appellavit, sed quia refugium appellationis de causa Apostolica auctoritate sublatum erat, sicut prudentia vestra novit, nec ipse de jure appellare potuit, neque ncs debuimus exaudire: Dominoque Rothomagensi Archiepiscopo, in cujus diœcesi prædicta Ecclesia constituta est, ea qua fungebamur auctoritate mandavimus, ut sicut a nobis judicatum erat, inviolabiliter faceret observari: et ipse prudenter, prout decuit, adquievit, sicut ex literis ejus promptum est intueri. Verum, quia audivimus sacerdotem niti refricare quod factum est, ad postulationem Abbatis apud celsitudinem vestram veritatis testimonium perhibemus nos, scilicet quale proposuimus ab Apostolica majestate suscepisse mandatum, et ea ratione quam diximus et ordine terminasse.

62. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Nuntios et literas vestras dominus Rex Anglorum tanto majore lætitia et alacritate suscepit, quanto majorem eis benignitatis vestræ gratiam promittere videbantur. Unde petitione vestra de pace Cantuariensis Archiepiscopi et suorum restitutione benignius exaudita, eum ad Archiepiscopatum suum redire, ipsumque cum omni integritate, qua tenebat quando exivit, recipere, et deinceps in bona pace et securitate possidere, ad honorem siquidem Dei et

Ecclesiæ, salva nimirum regni sui pristina dignitate, concessit. Visum nobis est verbum hoc nuntiis vestris, viris sane prudentibus, placuisse: adeo ut eos qui præsentes erant, statim absolverint; et ad eos absolvendos qui erant in Anglia, alter eorum, magister scilicet Vivianus, ilico transire, alter citra mare ad executionem condictæ pacis consenserint remanere. Postmodum revocato consensu, verbum conservandæ in futurum Regiæ dignitatis admittere noluerunt, ea quæ disposita fuerant exsequi recusantes; cum Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, religiosæ personæ, optimates regni qui aderant pro bono tantæ pacis multis precibus institissent, quoniam in observatione regiæ dignitatis nullatenus videbatur nobis libertas aut dignitas Ecclesiastica prægravari. Siquidem dignitas Ecclesiastica Regiam potius provehit, quam adjuvat dignitatem, et Regalis dignitas Ecclesiasticam conservare potius consuevit, quam tollere libertatem. Etenim quasi quibusdam sibi invicem complexibus dignitas Ecclesiastica et Regalis occurrunt, cum nec Reges salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione Regia consequatur. Genibus itaque pietatis vestræ quanta devotione possumus advoluti suppliciter obnixeque deposcimus, ne sapientia vestra quasi literarum apices et conceptiones verborum, potius quam rem ipsam duxerit amplectenda, sed secundum datum a Deo vobis spiritum discretionis id agite, ne causa unius in multorum et fere innumerabilium perniciem convertatur, quia ad bonum pacis quandoque magis proficit mansuetudo gratiæ, quam severitas disciplinæ.

63. *Ad monachos Bernacenses.*

Sicut electionem vestram indulgentiore gratia prævenire curavimus, ita factam, quantum in nobis est, approbamus, et personam electam plurimæ dilectionis brachiis amplexamur. Quod autem ad assignandam vobis diem benedictionis nuntium destinastis, miror admodum quod id quod per Priorem et majorum personarum numerum competentem fuerat implorandum, personam, ipsamque solam et sine literis, nec moribus gravem nec ætate, misistis, qui me benigne satis et utiliter ad omnia respondentem superbis non timuit irritare sermonibus, nec superba ad magnum animi motum audacia provocare. Stulto itaque secundum stultitiam suam responso quod oportuit dato, vobis tanquam dilectis in Christo fratribus, per proprium nuntium et literas duximus respondendum, ne quis vos, quod absit, de benignitate et gratia nostra fallaci malignitate desperare compellat. Sciatis itaque me infra decimum aut duodecimum diem, ad Ecclesiam vestram, volente Domino, rediturum, et tunc Priorem ad nos cum numero fratrum competente et electa persona venire volumus, ut per eos nobis, sicut ordo Canonicus exigit, repræsentetur electio, et auctoritatis nostræ munimine roboretur. Tunc communicato nimirum vestro nostrorumque consilio, ad benedictionem dies opportunus poterit assignari, et nos si quid obstaculi videbitur apparere, modis omnibus amovere curabimus, et dare suum negotio præeunte semper divina gratia complementum.

64. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Causam quæ inter Hermerium sacerdotem et Abbatem de Cultura, super diminutione presbyteratus Ecclesiæ de Bruslum vertebatur, majestas vestra parvitati nostræ delegavit ordine judiciario decidendam. Proposuit itaque Hermerius presbyter presbyteratum prædictæ Ecclesiæ, quem gerebat ab Abbate, per violentiam decurtari, sibique integritatem ejus restitui, sicut antecessores ejus possederunt instanter exegit: proposita ad probationem testium multitudine, in quibus necessitas aut ratio postularet. Abbas vero inter antecessorem suum et Gervasium prædecessorem Hermerii super eadem re controversiam extitisse respondit, causamque a præsentia domini Cenomannensis ad audientiam Turonensis Archiepiscopi per appellationem fuisse translatum, ibique litigium omne compositione amicabili diffinitum. Super quo literas domini Archiepiscopi exhibuit, formam transactionis plenius continentes. donationis nomine non mereat. *Videntur multa deesse.*

65. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Felicem me et omni donatum beatitudine judicarem, si vel semel adhuc me ad videndam faciem vestram bonitas divina perduceret, ut desiderantibus oculis vultus vestri serenitas illucesceret, et ariditatem meam copiosior de proximo benedictionis vestræ rigaret ubertas. Sed me cum provectior ætas, tum fortuitæ debilitatis incommodum, tum ipsa reddit locorum distantia desperatum: quia ad tot peragrandas regiones forte nec tempus spatium, nec potentiam debilitas indulgeret. Facio interim quod possum, et remoto corpore semper vobis instantia

sollicitæ devotionis assistit, et ad status vestri prosperitatem et pacem sanctæ Romanæ Ecclesiæ perquirendam in omni loco, quotiens refulget occasio, promptus et fidelis occurro. Siquidem in omnibus vestra me semper et prædecessorum vestrorum gratia fecit et beneficentia debitorem, nihilque mihi molestius est, quam quod omne quod possum ad debitas gratiarum non sufficit actiones. Verum quanto merita mea minora sunt, tanto animus ad obsequendum propensior est, tanto obnixior ad agendum, ut scilicet impotentiæ defectum devotio suppleat, quæ ubicunque sincera est rectiore judicio quolibet opere debet acceptior æstimari. Viderunt hoc legati vestri quoscunque ab initio ad partes nostras vestra destinavit auctoritas, fidemque et diligentiam meam evidentibus rerum argumentis experti sunt, sicut etiam literis eorum qui novissime venerunt, vestræ potuit innotescere majestati. Siquidem cum ea propter quæ venerant ad miserabilem scissuram negotia declinassent, et omnes qui intercesserant desperata concordia discessissent, ego tandem fervore caritatis ultro solus accessi, omnibusque cum legatis vestris utili examinatione et provida pertractatis, Principem nostrum jam revertentem in Angliam, de ipso itinere revocavi, ipsumque ad bonum pacis per ministerium meum divina benignitas inclinavit. In quo visa est omnibus insperatum divina pietas operata miraculum, quod tantus Princeps a tanto indignationis et iracundiæ motu ad opera pacis humilitatisque conversus est, seque legatis vestris pro reverentia Dei et gratia vestra tractabilem exhibuit, et præstitit obsequentem, sicut de literis ipsius et eorum vestra experientia recognovit. Profecto si in eo quod ibi factum est honorem Ecclesiæ Dei vestrumque vobis placuerit æstimare profectum; magnum est, immo maximum

quod fecistis, si fuerit qui executioni mandare, et effectui mancipare procuret. Quod sane jam non erit difficile reputandum, quia operante pro Ecclesia sua Spiritu sancto tantæ tunc Principem sinceritas devotionis astrinxit, ut nulla eum pœnitentia, nulla possit impudentia revocare. Nec ego hæc ad jactantiam, vel ut mea videar merita prædicare, recenseo, sed desiderabile mihi est, ut studium meum tot approbatum indiciis, a memoria vestra non excidat, sed pristina mihi semper apud majestatem vestram gratia perseveret, ut in novissimis diebus meis, ad quos me senectutis necessitas odiosa perducit, fortius mihi semper in opportunitatibus manus vestræ protectionis assistat, nec quietem meam vexationibus concuti, nec Ecclesiam meam malignitate qualibet sua patiamini justitia defraudari, ut ego eam in eo statu conservare valeam, ad quem ipsam per merita vestra Deo cooperante perduxi, ut moriens de paupere divitem, de obscura possim relinquere gloriosam. Ad quod sane complendum quia per me non valeo temporis obstantis malitia pervenire, ad solitum vestræ benignitatis auxilium, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsidium singulare in omni semper opportunitate convertor, quia vos expertus sum in omni semper petitione propitium, et in expugnandis difficultatibus meis penitus efficacem. Latorem ergo præsentium, Magistrum Gislebertum, quem mihi cum honestas, tum scientia, tum etiam beati Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi ulterior qua eum complectebatur gratia commendavit, ad pedes vestræ dirigo sanctitatis, ut per eum vobis veritas et justitia negotiorum nostrorum plenius innotescat, et epistolæ brevitatem commodius sermo unius instauret. Rogo itaque ut ipsum bonitas vestra ea qua me et meos semper consuevistis benignitate suscipiat, et diutur-

nitati negotiorum nostrorum finem curetis imponere, super quibus a vobis primos, secundos, et tertios judices jam accepi: sed tam spes mea, quam eorum cognitio multis artibus est elusa, ne possem usque ad audientiam etiam pervenire. His autem quæ ex parte mea vobis iste dixerit, fidem indubitatam habere poteritis, quia sacrilegio majus est attentare etiam vestram in aliquo fallere sanctitatem.

66. *Ad Ricardum Pictaviensem Archidiaconum.*

Quod dilectio vestra propitiam senectutis meæ sollicitudinem gerat, multis claret indiciis, eoque maxime quod utilia debilitati meæ tanto tamque liberali studio subsidia providetis. Siquidem ad varios labores frequens me trahit occasio, nec fidem excusationi malitia temporis adhibet, sed quod infirmitatis est desidiam reputat, aut figmentum; adeo ut sæpius in potentiam ipsam cogatur expugnare necessitas, miserisque conatibus sepultæ virtutis instaurare defectum. Perniciosum autem est valetudinem infestare laboribus: ne forte vexatio vim doloris augeat, et novum aliquod ægritudo de concussionis injuria contrahat incrementum. Invenit igitur gratia vestra subsidium senectuti, laborique remedium, quo tam debile corpus vegetari debeat, quam vexationum instantia temperari. Siquidem duos equos a vobis exactiore diligentia perquisitos accepi, quos ipsa statim pulchritudo primo commendavit aspectu, postmodum omni vitio mundos inspectio diligentior approbavit. Feruntur plane, neque sessorem qualibet inæqualitate concutiunt, nec celeritatem retardat æqualitas, neque pes aliquo unquam cespite retusus offendit. Non est opus eos fræno cohibere, vel urgere calcaribus; quia tanta facilitate cuilibet mancipantur obsequio, ut

omnem sessoris explorasse videantur affectum. Denique tanta progressus eorum suavitate procedit, ut qui insidet non incedere, sed labi; nec se tam equo vehi, quam quasi navicula quadam subvehi verius arbitretur. Porro varietas ipsa ad augmentum quoque voluptatis accedit, quia tædium identitatis novitate distinguitur, nec eidem sellæ semper inhærere necesse est, sed modo huic, modo alteri quantum libuerit insidere. Videntur mihi virtutem pristinam, patientiam pristinam reddidisse, juniorumque discursus tanta levitate consector, ut membra nequaquam contineri, sed etiam potius suavi motu sentiam vegetari. Reddidistis me mihi, immo eis qui meo quondam fruebantur, sed modo fungebantur obsequio, et de claustris domesticis clementer eductum ad solita publicæ congratulationis gaudia reduxistis.

67. *Ad Henricum Regem Anglorum.*

Henrico Dei gratia illustri regi Anglorum &c. R. Rotomagensis Archiepiscopus et Arnulfus Lexoviensis Episcopus, salutem in eo per quem Reges regnant.

Tanto tempestivius ac diligentius injunctam nobis legationem duximus prosequendam, quanto periculosior in tanto discrimine dilatio videbatur. Accincti itaque ad laborem suscepti itineris, Regem Francorum audivimus, blandissimaque salutatione præmissa ipsius prævenientes offensam, nulla cautela potuimus vestræ salutationis extorquere responsum. Singulos nostræ legationis articulos explicavimus seriatim, commoda pacis, et incommoda dissensionis frequentius inculcantes. Ipse vero verbum nostrum in omnibus, sola salutatione excepta, patienter admisit. Expedito itaque diligenter nostræ legationis excursu,

spatio modici temporis interjecto contumeliose cœpit nobis fraudes et versutias exprobrare, quibus se conquerebatur sæpissime circumventum. Dicebat, quod fidem inter vos mutuo compromissam frequenter occasione levissima violastis: vosque in omnibus adeo exhibuistis instabilem, quod non adhibebit de cætero vobis fidem. Non sit vobis, Rex illustrissime, onerosum, si quod audivimus, loquimur. Hæc est enim nuntiorum conditio, ut de injuncto sibi mandato nil subticeant, nil rescindant, vel diminuant de responso. Addebat etiam, se firmissimum habuisse propositum expugnandi vos, antequam Carnotum filius vester adventasset: istasque occasiones dissensionis et odii proponebat, quod filiam suam ad virum suum redire non sinitis, quod ei dotem ejus non redditis, quod subditos suæ ditioni populos a montibus Alverniæ usque ad Rhodanum, in ipsius odium concitastis, quod in coronæ suæ dispendium Comitem S. Egidii in ligium hominem recepistis. Tandem etiam juramento firmavit, se nunquam de cætero vobiscum fœdus, aut concordiam habiturum, nisi de vestræ uxoris, et filiorum vestrorum assensu. Nunc igitur in custodiendis munitionibus vestris, et potissime in corporis vestri tutela saniore consilio est utendum. Communi enim voto in exitium vestrum tota Francia conspiravit. Nec satis est ei exterminare terræ faciem igne et gladio: sed in vestram personam, quod absit, scelus execrabile machinatur. Consulimus sane, si qua abstulisti, si læsisti aliquem, ablata restituere, et odia reformare in gratiam. Hoc enim inimicos vestros potissime invitat ad pugnam, quod intestinos hostes sentiunt vos habere: et qui vobiscum dulces capiunt cibos data opportunitate magnificabunt super vos supplantationem. Maledictus qui confidit in homine, et ponit carnem fortitu-

dinem brachii sui. Quid est amabilius filiis? quid uxore familiarius? recessit tamen uxor a latere vestro, et filii insurgunt in patrem. Ideo non frustratorie loquebatur homo ille hominum prudentissimus, qui dicebat: Amico ne credas. Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. Filius enim contumeliam facit patri: et inimici hominis domestici ejus. Sane suffragia illius imploranda censemus, in cujus manu sunt corda Regum. In ejus nomine parvitati David Goliæ subjacuit magnitudo. In ejus nomine Samaria adeo fame confecta obsidente Benadab, quod triginta argenteis caput asini vendebatur, sub ictu oculi liberata est, exuberantique victualium affluentia redundavit. In eo siquidem sperans non infirmabitur. Si exsurgat adversus vos prælium, in hoc sperate. Si exsurgant adversus vos castra, non timebit cor vestrum: ipse enim docebit manus vestras ad prælium. Accipite vobis in auxilium preces Ecclesiæ: quam, si in aliquo offendistis, debita satisfactione impensa ei de cætero omnem reverentiam exhibete. Sponsa enim Christi est: et injurias sponsæ Christus reputat suas: nec est, quod magis hostes vestros incitet ad conflictum, quam quod arbitrantur vos Ecclesiæ Dei minus extitisse devotum. Bene valeat carissimus Dominus noster, et de his, qui se contra eum in superbia et abusione erigunt, reportet in virtute altissimi gloriam et triumphum.

68. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Petitiones a nobis tertio factas, et a majestate vestra semper benignius exauditas, quarto nunc iterare compellimur, quia delegatorum novissime judicum multitudo cognitionis impedivit eventum. Siqui-

dem Baiocensis et Ebroicensis decanorum diutina et frequens absentia tertium collegam, Dominum scilicet Abrincensem, a negotiorum executione suspendit, quia nihil ei fuerat sine alterius eorum vel utriusque præsenti cooperatione commissum. Et ego quidem miratus sum quod standi necessitatem sacerdoti, ipsique episcopo, coram diaconis, seni coram adolescentibus vestra majestas indixerit, quum potius minores a majoribus, inferiores a superioribus, juniores a senioribus soleant judicari. Paratus tamen eram cum omni reverentia quorumlibet judicum vestrorum imperata recipere: sed adversæ partis astutiam, in eorum de quibus agitur possessione consistens, nunc sicut ab antiquo semper dies et tempora dilationibus redimit, et me semper ad omnem diem et locum judicibus occurrente nec semel adhuc in judicio dignata est apparere. Siquidem quandoque nobis, sicut hactenus semper, violentia potentiæ sæcularis opponitur, quandoque redemptus caute judicum favor quaslibet adversus nos manifestissime etiam frustratorias dilationes admittit. Quum vero reclamante semper ecclesia nostra parochiales ecclesias et decimationibus emptionibus aut quibuslibet illicitis modis de manu laica sacrilega temeritate monachi præsumpserint occupare, sæculari semper potestate defensi sunt: ut male parta possessio malo nihilominus præsidio servaretur. Tempus autem violentiæ hujus ad præscriptionem longi temporis nituntur opponere, quum ad præscriptionem proficere non possit violenta vel interpellata possessio: ubi scilicet nec experiendi copia neque dies utilis indulgetur actori. Rogamus igitur ut labori nostro, cui jam triginta annis inefficaciter institimus, bonitas vestra finem curet imponere, Dominoque Abrincensi, quem vestra judicem nobis assignavit electio, quem volueritis adjungatis,

quem certum sit zelum Dei habere et peritiam judicandi, quique ejus sit ætatis et ordinis, ut nec ordini nostro irrogari videatur injuria nec confusio senectuti. Petitiones autem nostras lator præsentium Hugo Archidiaconus et nepos noster majestati vestræ plenius indicabit, quia eas præsentibus litteris non duximus inserendas, ne forte prolixitas epistolæ in tædium verteretur.

69. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Quæ detrimenta, quos labores, quas injurias ecclesia Cantuariensis hac tempestate pertulerit, vestra compassio non ignorat. Verum afflictam diutius et miserabili mœrore confectam miserator et misericors Dominus oculo misericordiæ respexit ad præsens; ipsam cœpit ad statum pristinæ dignitatis et excellentiæ per gloriosa beati Thomæ novi martyris magnalia revocare, quibus eam frequentius magnificentia divinæ majestatis illustrat. Certum est autem ibi noviter quoddam inter cætera contigisse miraculum, quod nulla spes antea, nulla fiducia præsumebat; scilicet quod ibi persona ad regimen ecclesiæ sine designatione laicæ potestatis electa est, quum ibi nullus antea promoveri potuerit, nisi de quo prius potentia sæcularis edixit. Siquidem quum opus illud ad veterem abusum revocari multis fuisset artibus attentatum, per merita prædicti martyris omnis elusa est semper machinatio, quia eam quam ipse sibi proprio redemerat sanguine, libertatem personæ committi non pertulit, cujus non electio libera et canonicus probaretur ingressus. Si enim tam recenter convalere veteris ritum violentiæ contigisset, inanis fortasse a pluribus pretiosi sanguinis reputaretur effusio, et in defectum decertata tot laboribus vic-

toria concidisse. Ceterum nunc tota provincia in spem optatæ tanto tempore libertatis aspirat, et confirmatum Christi sanguine testamentum, novo gaudet iterum sanguine consignari. Omnium igitur ad triumphum noviter evictæ libertatis concurrente lætitia, exorato spiritu, et eos in unum suaviter dirigente consensum, electus est vir, cujus religio, cujus prudentia, cujus magnificentia tanto operi idonea crederetur, quod non externis indiciis sed intra domestica claustra per longum tempus ipsis rerum constiterat argumentis. Nulla invidia, nulla ambitio, nulla denique vis obviare præsumpsit, quoniam sanctus ille successoris sui consecrare videbatur initia, et altari, cujus ipse sacerdos extiterat, gratum sibi substituere sacerdotem. Felicitati temporum vestrorum hæc lætitia servabatur, ut hoc ad vestrorum accederet gloriam titulorum, scilicet quod ubique virtus vestra suam restitueret ecclesiæ libertatem.

Benedictus autem Deus, qui ad consensum hunc devoti filii nostri senioris regis animum inclinavit. Factumque hoc debito favore prosequitur, quod aliquando consueverat designatione necessaria prævenire. Verum filius, quem ad succedendum sibi in regnum fecit præmatura patris affectio consecrari, tanto bono cœpit obsistere, eorum scilicet impellente consilio, qui eum de sinu patris abstrahere potuerunt, et simplicitatem adolescentiæ ejus in proprium magis quam in patris vertere detrimentum. Studium igitur eorum est ipsum patri semper opponere, ut ex omnibus causis inter eos, quæ ipsi seminaverunt odia convalescant, ne aliquando conversus ad cor, debitum gratiæ naturalis agnoscere, et ad paternos incipiat redire complexus. Super quo prudentiam vestram necesse est sollicite prævidere, ne violentiam necessariæ designationis, quæ in patre per gratiam Dei et

gloriam vestram penitus expiravit, intuitu mansuetudinis vel dissimulationis vestræ resurgat in filio; ne non tam sublata quam translata videatur in alium, tantoque vehementior paret insistere, quanto paternam abrenuntiationem proposito suo considerat obviare. Personam itaque, in qua desideratæ diu libertatis cœperunt initia consecrari, benigne suscipite; ipsique ad executionem tanti operis necessariam de magnificentia virtutis Apostolicæ conferte fiduciam, ut primitiæ nostræ vestris semper auspiciis convalescant et læto consummentur effectu. Ad vos omnium fidelium oculi, ad vos omnium ecclesiarum vota suspirant, ut ex hoc qui libertatem habent, retinendi fiduciam et qui non habent spem concipiant obtinendi. Ad hæc, hoc opus, hoc studium, hæc martyris illius jugis fuit intentio ecclesiæ, cui præerat, redimere libertatem; hic laboris fructus, hæc merces sanguinis, hoc præmium passionis. Quia vero ille hunc velut hæredem et successorem conservandæ libertatis elegit, gloriosum vobis est cooperari martyri et ipsius initiis vestrum addere complementum, ut operationi ejus operatio vestra velut eodem spiritu vegetata concurrat. Ipsum ergo ad opus ad quod tam sancte, tam celebriter assumptus est, cum omni festinatione remittite, ne de absentia ejus occasionem malitia contrahat et rediviva potentiæ secularis incipiant germina pullulare; sed per istum beatitudo vestra renascentes parvulos teneat et allidat ad petram, sublatoque pristinæ servitutis elogio, ecclesia Dei lætabunda procedat, meritisque illius et vestris de antiqua semper iniquitate triumphans, hostibus suis incipiat apparere terribilis ut castrorum acies ordinata. Porro intelligat sapientia vestra non solum provinciæ illius et regni, sed aliorum etiam regnorum desideria supplicare, ad quæcunque sancti illius tam

relatione quam præsenti inspectione magnalia pervenerunt.

70. *Ad Willelmum Cenomannensem Episcopum.*

Verum est in Archiepiscopi electione suffraganeorum desiderari præsentiam, ut eorum, quibus præesse habet, consilio res utiliter disponi possit et conniventia confirmari. Asserunt autem canonici Turonenses se nihil in offensam vestram de præsumtione aut superbia facere voluisse: sed plurima necessitate compulsos accelerasse quod factum est. Quoniam si differrent, multa iis impedimenta, in detrimentum ecclesiæ multa obstacula comparebant. Sed et de opportuno episcoporum adventu maxime dubitabant, quum tempestas ipsa, quæ circumquaque est diffusa, singulos in precibus suis detineat et multis necessitatibus occupatos. Audivimus autem multis eorum non displicere quod factum est; sed adhibito confirmare consensu: quoniam si quid in ordine facti minus observatum est, nota laudabilis personæ merita recompensant. Sane ut in electionibus ordinis diligentia inquiratur, institutum est, ut cautius et fidelius possit de persona idonea utilitati ecclesiæ provideri, semperque personæ meritum specialius amplectendum est, quam principali bono observantiis quibuslibet obsistendum. Quod enim favore alicujus introductum est, hoc ad læsionem ejus retorqueri non debet: majorque favor personæ debet esse quam ordinis, quem institutum constat ad inquirendam potius personam idoneam quam tollendam. Super quo apud excellentiam vestram multorum desideriis desiderium nostrum et preces precibus duximus adjungendas, ut ad consensum operis et effectum vestra benignitas inclinetur: et quum id ad vos principalius

habeat pertinere, vestra possit promptior in operis executione et complemento gratia recognosci. Siquidem hoc facto multorum vobis laudem et gratiam acquiretis, neque bonum est ut sanctitas vestra inter tot perturbationes et scandala, quæ ex omni parte, peccatis nostris exigentibus, incessanter emergunt, Ad vindictam tolerabilis injuriæ, vestræ ecclesiæ, cujus tanquam major et primogenitus filius estis, tantum perturbationis inferat et laboris. Et res fortassis ad superius deducta judicium prosperos sortietur eventus. Satiusque debet esse prudentiæ vestræ omne rei complementum, quasi de vestro beneficio cum multis gratiarum actionibus provenire, quam vobis invitis a superiori procedere potestate.

71. *Ad Dominum Papam Lucium III.*

Quidam de canonicis nostris Lexoviensibus, anno præterito, de paucorum, non de universitatis conscientia, ad majestatem vestram literas pertulerunt, libere adversum me quæcunque voluerunt mendacia conscribentes. Quia vero adversum me de nulla in falsum poterant veritate confidere, et me sanctæ Romanæ ecclesiæ, ab ineunte adolescentia mea, notum noverant et acceptum, famæque meæ integritatem multa apud eam gloria resplendere, ad mentiendum securius mirabili processere commento, ut multa velut infinita confingerent, ut velut auctoritatem faceret falsitas falsitati, nec ipsi mendaces possent de tot falsitatibus æstimari, et falsitati testimonium fallax videretur assertio perhibere. Vix enim credi poterat quod quivis præsumeret sinceritatem vestram tot et tantis obfuscare mendaciis, nec aliquis erat qui meo posset nomine respondere; satisque erat iis si vel ad momentum opinionem meam

possent in aliquo denigrare, vestramque ad ambiguum aliquatenus trahere sanctitatem. Audistis eos, et magis quam expediret mihi etiam exaudistis; quoniam absens et innocens, nulloque citatus edicto, punitus sum et ex magna officii episcopalis mei parte suspensus, ipsosque ad dicenda et facienda quæ vellent remisistis amplius animatos, ut et alii quilibet invitari possent et amplius animari. Miratus sum ego, et nihilominus qui audiere mirati sunt, qua ratione in filium, ipsumque specialem, tam immitis statim sententia processisset. Continui tamen manus meas, neque eas etiam usque ad protectionem capitis mei tremebundus opposui, et ad demissionem episcopatus, quam semper optaveram, vestra me indignatio confirmavit. Super quo vestræ gratias refero sanctitati, quod me tam misericorditer ab importabili onere liberastis, et ad providendum animæ meæ liberiorem procedere permisistis.

Adversarii vero mei, literis et judicibus ad arbitrium impetratis, studuerunt meum multis artibus impedire processum, et me ex literis vestris ad judicium Abrincensis episcopi et Beccensis et Saviniensis Abbatum, continuo protraxerunt, quos ex multis causis mihi tota provincia noverat adversari: a quibus super tot tantisque capitulis nulla potuit impetrari dilatio, neque deliberatio respondendi. Confessi sunt ab initio judices, dum ageremus, nullam se juris habere peritiam, nec exceptionum vel quarumlibet allegationum compendia recepturos, sed iis tantum insistere, quod iis prima facie velle litera videretur. Accedebat ad gravamen meum Regis indignatio et infatigabile studium Walteri Constantiensis, quem illi factionis suæ quam adversum me juraverant, promisso episcopatu, principem constituerunt; et ipse iis in omnibus auxilium et favorem regium conser-

vabat, sigilloque regis quod ipse servabat, secure præsumebat quidquid vellet adversum me, etiam sine regis conscientia, consignare, ut de ipsius voluntate procedere crederetur. His itaque dolis instructi etiam judices a veritate judicii terroribus abierunt, parati quidem ad omnia quæcunque iis possent ab adversariis imperari.

Proposuerunt itaque me bona ecclesiæ dilapidasse profusius, quum me mille ducentas libras et eo amplius perpetuas acquisisse constaret, et thesauro etiam intulisse quingentas, et duodecim millia librarum extantibus ædificiis impendisse, ipsamque ecclesiam episcopalem ex parte sumptibus meis et acquisitionibus innovatam; ad communiam quoque canonicorum sexcentas libras annuas et perpetuas acquisivi, atque mensam episcopalem quingentis libris et eo amplius annuis et perpetuis augmentavi. De ipso autem thesauro, ut nihil subtraham, decem et septem marcas in initio meæ promotionis assumpsi, quia bona omnia episcopalia redimere de manu Comitis Andegavensis angebar, quæ ipse mihi per duos annos et tres menses abstulerat, quia electus canonice sine ipsius designatione fueram consecratus: quod ego quidem de permissione Domini mei gloriosæ memoriæ Papæ Innocentii feci, quum ego prius de meo nongentas libras in eam causam et amplius expendissem. In expeditione quoque Hierosolymitana, ad quam me sanctus Pater Eugenius Papa destinavit invitam, mandato ipsius calicem aureum triginta et quatuor unciarum expendi, quum ipse mihi, si amplius oporteret, mea causa assumere concessisset. Præterea, ne forte jactantia videatur, quanta interim fuerit hospitalitatis effusio, quam etiam frequens donorum caritas illustrabat, adeo ut ab homine mediocritatis meæ vix tanta posset largitas exspectari: quod

ab his qui viderunt et his qui experti sunt, publico passim testimonio confirmatur.

Supplicavi judicibus ut eorum quæ apposita sunt et detracta, quantitate perspecta, rationem compensationis admitterent, si tamen æstimandum videretur quod in tam pias et necessarias causas expensum fuerat, et postea plusquam septuagies septies restitutum. Non sum exauditus in aliquo: quia ora eorum et corda novi metus et antiquæ simultatis obstinatio clauserat, neque jam latens odium, sed prorupta in omnibus audacia videbatur. Condemnaverunt me itaque in centum libras donandas canonicis, quas in utilitates ecclesiæ et legitimos sumptus expenderant, mihique de capella prorsus nova quam mihi paraveram, casulam, dalmaticam, tunicam abstulerunt; sicque me privatum pecunia et sacris spoliatum vestibus emiserunt. Quod sane cum ad vestram audientiam pervenisset, sententiam eorum apostolica severitate quassastis, et me, sicut ex literis vestris intelligi potest, ab ipsorum voluistis pervicacia liberari. Rogo itaque ut vestra in decreto suo sententia perseveret, suumque literæ vestræ consequantur effectum, mihique quod ex injusta causa sublatum est, restitui faciatis, ut ad fratres ad quos concessi pervenire possit, quod iis ab initio fuerat destinatum. Insultant illi siquidem, suoque quod ad pias causas fuerat deputatum distribuunt arbitratu, et me quasi nudum et inopem exiisse improba congratulatione lætantur. Faciat itaque vestra misericordia quod cœpistis, et quod a vobis quasi decretum est, districta severitate præcipite consummari, ne de nostris gaudeat simplex vel imperita malitia detrimentis.

72. *Ad Abbatem Cisterciensem et fratres ejus.*

Confectus senio et aliquarum ægritudinum gravatus accessu, ad Medicinæ salutare remedium confugere, et confracta laboribus membra necessaria requie sublevare constitui. Siquidem in perniciem meam veluti conjurata veniunt debilitas, infirmitas, et senectus, mihique tot incommodorum instantia fiduciam vitæ longioris abrumpit. Accedit extrinsecus negotiorum quibus distrahor importuna vexatio, quæ miserabiliter anhelantem, vel ad momentum etiam respirare non sinit. Siquidem sæpius ad Regales cum cæteris trahor angarias, eorumque quibus deesse non possum, frequentibus infestor injuriis, media omnia interim tot tantisque laboribus sumptibusque constrata sunt, ut nec ad tolerantiam corpus sufficiat, nec ad impendium facultates. Porro si hæc saluti etiam non obsisterent animarum; viro tamen bono tolerabilius videretur, si detrimenta præsentium ad proventum proficerent æternorum. Sed hominum semper procedente malitia, et in deterius diebus singulis excedente, cum bona, tum corpora, tum et animæ simili ruina pariter involvuntur, et formidabili plerumque consummantur eventu. Quia igitur sapientis est casus hujusmodi sagaci providentia prævenire, opportunitas loci mihi fuerat exquirenda, ubi quietem meam nec causarum tumultus infestet, nec incursus multitudinis interpellet, sed exemplo meliore semper honestatis studia convalescant, et ad veræ virtutis opera omnis possit occasio deservire. Super quo cum ad multa loca multorum precibus et desideriis invitarer, quidam locus ordinis vestri qui dicitur Mortuimaris inter cuncta complacuit, quia mihi visus est multis commoditatibus opportunus. Siquidem de antiqua familiaritate plurima sumus invicem caritate

conjuncti, mutuamque gratiam vetus notitia alterna operum exhibitione firmavit. Itaque extra terminos, intra quos secundum ordinem vestrum, arctioris abstinentiæ decreta servantur, domum mihi moderato sumptu statui construendam, cujus sobria necessariis usibus amplitudo sufficiat, mensuram tamen regularis ædificii non excedat. Sane exclusi erimus, commeatu tamen familiari tam provide, quam clementer indulto, ut a transgressione regularis observantiæ severitas arceat, et tamen ab Ecclesia sanctisque fratrum colloquiis misericordia non excludat. Porro per exteriora nullus reservatus ingressus est, quo scilicet inutilis frequentiæ tollatur occasio, et nihil nisi per communem portam sub oculis et sancti solertia janitoris accedat. Scio plurimam eos de nostra commoratione concepisse lætitiam, atque eis utinam inde proveniant commoda quæ præsumunt, ut scilicet dignus sit expectatione proventus, et aliquid bonæ opinioni eorum de judicio nostræ præelectionis accedat. Quia vero locum illum novimus specialius ad vestram sollicitudinem pertinere, propositum nostrum vobis indicandum duximus, rogantes ut et vestræ caritati complaceat, sanctoque vestrarum precum suffragio muniamur, et auctoritas vestra vota sanctorum fratrum exhilaret, et rescripto quolibet aut mandato confirmet.

73. *Ad Ricardum Pictaviensem Archidiaconum.*

Librum de Ecclesiasticis officiis eo libentius vobis censui transmittendum, quia vellem vos exemptum sæcularibus, divinis officiis toto studio mancipari. Quod si vos ad illa quandoque necessitas, aut proventus, aut superior gratia pertrahit, ordinis vestri semper habete memoriam; nec eis vos immisceatis,

quorum executio professioni vestræ non congruit, sed eis dimittatis per quos ea specialius convenit expediri. Porro quædam sunt quibus vestram vos oportet omnino negare præsentiam, ubi scilicet corporalis pœna vel judicium sanguinis fuerit irrogandum, quia forensium legum severitas in plerisque mansuetudini miserationis Ecclesiasticæ non concordat.

74. *Ad Legatos Albertum et Theodwinum.*

Lator præsentium Roal. literas mihi vestræ sublimitatis attulit, quas ego inspectas diligentius de falsitate suspectas habui, quia in parte solœcismum habere, in parte contra consuetudinem vestram aliquid præcipere videbantur. Ipsum itaque cum eisdem literis ad vos censui remittendum, ne circa executionem mandati vestri negligentiæ vel temeritatis argui possim, sed quid fieri velitis planius me et plenius instruatis. Utile autem esset huic ad alium judicem mitti, apud quem de proximo posset commodius experiri, quia ego propter quasdam necessarias causas in locis remotioribus his diebus longiorem moram habere disposui, atque ei difficile et nimis sumptuosum esset ibi necessariæ instructionis copiam exhibere.

75. *Ad Nicolaum Monachum de Monasterio Arramato.*

Literas discretionis vestræ non sine magna admiratione perlegi, prudentiamque Principis et religionem vestram impudici adolescentis fallacia dolui circumventam. De eo autem quod scripsistis, ipsum vos pro intercessione mea in ulteriorem gratiam rece-

pisse, meque id a vobis extorsisse literis frequentibus, sciatis me nunquam pro eo vobis aut alii literas destinasse, nec ullas preces cuiquam pro eo ullo unquam tempore porrexisse. Siquidem mihi nulla cognatione conjunctus est, nullis acceptus meritis, nulla familiaritate devinctus, immo rarissime nostro se conspectui præsumit offerre, quoniam celebri respersus infamia, etiam in publicum prodire nocente conscientia reformidat. Ego autem literas Comitis ab eo jam secundas accepi, quas tenerrima dictasse videbatur affectio, quia nihil literarum continentiæ defuit, quod vel amor imperare voluerit, vel curiosa diligentia potuerit invenire. Porro literæ illæ stilum vestræ peritiæ redolebant, apicesque his quos noviter a vestra sanctitate recepi, identitatem manus mihi certis indiciis penitus expresserunt. Super eo autem quod sigillum Comitis ipsum falsasse dicitis, mutuamque falsitate literarum nomine Comitis pecuniam accepisse, si meritis ejus non ducitis indulgendum, ordine judiciario oportebit arguere diffitentem, et fortassis ad peragendum reum probationum vobis copia deerit: et si ad testium depositionem causa pervenerit, tristem fortassis in ipsa examinatione sortientur defectum. Sed et si tenuerit actio, ipsam proculdubio inopia debitoris elidet, nisi vestra bonitas in hoc casu solita velit ei munificentia subvenire, meritisque ejus in opportunitate sua compassio vestra debitas gratiarum referat actiones. Inhumanum etiam forte reputaretur a pluribus, si adolescentem ingenuum liberalitas vestra traheret in discrimen, si uni saltem delicto post tot collata beneficia personæ id ætatis vestra benevolentia non ignoscat. Si tamen injuriam hanc acriore instantia persequi destinatis, ego servum alienum judicare non debeo, domino suo stet aut cadat: nec ego eum carceris ergastulo claudere,

vel ferreis vellem arctare compedibus, neque bonitas vestra velle debet pro tam modica summa ipsum durioribus vinculis alligari. Vester est, quia vos eum vestrum beneficiis et doctrina fecistis, dominique Comitis Canonicus est, ut scripsistis, ideoque apud eum conveniendus est, et forum illud cui obnoxius est tenetur agnoscere, judicisque sui sententiis obedire. Sed et accipitur quem quarto mutatum, sicut scribitis, vestra per eum mihi magnificentia misit, tanquam alas habens, forsitan avolavit, aut ipsum adhuc ad longinquiora tempora reservandum censuit, quo ipsum magis faciat provectior mutatio gratiosum.

76. *Ad Bartholomæum Exoniensem Episcopum.*

Lator præsentium Jor. vester apud nos pluribus adolescentiæ suæ diebus commoratus est, ut in Ecclesia nostra divinis informaretur officiis, et inter scholares liberalibus posset instrui disciplinis. Complacuit in eo fratribus nostris et nobis verecunda solertia, et quod primæ rudimenta virtutis spem bonam de reliquo promittebant, adjuncto quod suavi quadam et jocunda voce inter psallentes in Ecclesia, ad devotionem posset indurata etiam viscera commovere. Reversus ad terram nativitatis suæ, acceptum se vobis extitisse gavisus est, adeo ut vestra eum beneficiis gratia sublevaret, et ad subdiaconatus ordinem promoveret. Postmodum ad cismarinas partes trahente eum nescio qua opportunitate regressus, reliquos ordines sine vestra licentia et concessione percepit. Ratus super eo quod non de præsumptione sed simplicitate commissum est, benignitatem vestram non adeo commovendam. Vestra vero severitas ipsum a minus caute perceptorum ordinum

administratione suspendit, adjecta, sicut asserit, terribili comminatione: quod a vobis scilicet restituendus non sit, nisi hoc ei a majori fuerit auctoritate concessum: ad Cardinales igitur per labores multos et pericula magna pervenit, sed ipsi nihil ei indulgere voluerunt, nisi prius de veritate facti vestrarum docerentur testimonio literarum. Dicunt etiam se nihil scripturos in Angliam, nisi prius cum domino Rege fuerint collocuti, quod qua consideratione decreverint, nos nescimus. Supplicamus nos interim et antiquiore præventum gratia, gratia perseverante prosequimur, ut ei apud vos nostra prosit oratio, quatenus aut ratio sustinere debuerit, aut misericordia subvenire.

77. *Ad Abbatem Sancti Ebrulfi.*

Super his pro quibus in sententiam commisisti, a memoria tua non credimus excidisse quomodo mandato nostro stare promiseris, et præceptionibus obedire. Nos vero quibusdam ex causis adhuc formam distulimus assignare mandati, et modum satisfactionis imponere, quia in hac re ea temperantia uti volumus, ut quicquid fecerimus, ex sincera videatur procedere caritate et tu ad debitam humilitatem et obedientiam nostro provoceris exemplo, dum tamen Ecclesiasticæ institutionis disciplina servetur, quantum tuæ et nostræ saluti crediderimus expedire. Ne itaque res diutius hæreat in suspenso, et quadragesimale tempus quod extat specialius est pœnitentiæ dedicatum fraternitati tuæ, ea qua teneris astrictus necessitate, mandamus ut proxima IIII feria non præsentis, sed sequentis hebdomadæ apud Lexovium nostro te conspectui repræsentes, ut adhibito religiosarum et prudentium personarum consilio, quod

tibi mandandum fuerit auctore Domino disponatur. Siquidem oportet nos conscientias nostras ad festa præparare Paschalia, ut Dominicæ resurrectionis esse participes per condignos fructus pœnitentiæ debeamus.

78. *Ad Abbatem de curia Dei.*

Pro filio vestro F. paternitati vestræ gratias tota devotione referimus, quod ita circa eum copiosæ caritatis visceribus abundatis, ut ipsum tota diligentia religio vestra dirigat ad salutem, et in opportunitatibus suis paternum indulgentia largiatur affectum. Elegit apud vos abjectus esse in domo Dei sui, magis quam apud suos habitare in tabernaculis peccatorum: sed affectati ordinis austeritatem benignitatis vestræ gratia relevat, et humilitatem abjectionis dignatio recompensat. Certum est cujus et in hoc et in aliis quæratis gratiam promereri, sed licet salva sint vobis præmia vestra, nostræ tamen ad gratiarum actiones affectio devotionis accedit. Felicem ergo me, inquam, si unquam inveniar accepisse non ingrate, si datum mihi fuerit aliquid quandoque rependere vestrorum excellentiæ meritorum.

79. *Ad Abbatem Cisterciensem.*

Duo sacerdotes de Episcopatu nostro, Arn. videlicet et Ric. sæculo renunciare disponentes, admonitione frequenti et studio fratris nostri Will. nunc Abbatis de Pinu, ad venerabilem et religiosum virum Ric. Abbatem de Valascia refutatis prius in manu nostra quas possederant Ecclesiis, se et sua devotione promptissima contulerunt. Quorum nos devotionem favore debito prosequentes, intuitu Abbatis de Va-

lascia, qui ob sinceræ religionis et industriæ suæ meritum plurima nobis caritate devinctus est, rationum obligationes, et cætera quibus nobis tenebantur obnoxii, quoniam Officiales nostri fuerant, sine omni difficultate remisimus, et eos in prædicto monasterio Deo perpetuo servituros cum facultatibus suis in manum Abbatis liberos et absolutos consignavimus. Postmodum vero cum devoti monasterii probationem ingressuri sperarentur, Abbas de Pinu ad aliud voluntate devocata, opus cujus auctor prius vehementissimus extiterat, vehementiore studio dissuasit, objiciens quod unus eorum antequam etiam pubertatis annos attigisset, sua persuasione in monasterio de Chaelix publicum religionis votum solenniter nuncupaverat, promissione quoque adjecta quod eam non mutaret, nec revocaret in posterum voluntatem. Qua occasione prudentibus et religiosis viris plurimum admirantibus, devotum pariter et indevotum abduxit cum ea proculdubio ratione, qua alterum extrahere nitebatur alter in devotionis suæ monasterio perpetuo permittendus fuerat commorari. Porro Abbas de Valascia, utpote vir longanimis et multæ mansuetudinis, suas et monasterii sui usque ad sanctum universitatis vestræ conventum prosequi distulit injurias, sperans profecto siquid perperam actum est, sine subterfugio reformandum, ubi nec excusatio veritatem impedit, nec cupiditas æquitatem. Ego vero, quod ad Ecclesiam meam pertinet, nulla dissimulare valeo ratione, quoniam unus eorum de quorum revocatione tractatur, Arn. videlicet, librum quendam quem Ecclesiæ suæ parochianorum collatio devota contulerat, consilio et ministerio Abbatis de Pinu pignori pro IIII libris Andegavensibus obligavit, quamvis ego sub anathemate prohibuissem ne id ipsum faceret, nec quicquam de rebus Ecclesiæ

sine conscientia mea præsumeret asportare. Quoniam ergo sæpius commonitus et requisitus, librum Ecclesiæ suæ non restituit, eum excommunicatum, et ab omni sacerdotalis officii ministerio suspensum, donec de sacrilegio satisfecerit, noveritis emigrasse.

80. *Ad Henricum Fiscanensem Abbatem.*

Credimus prudentiam vestram fideli memoria retinere causam quæ inter vos et latorem præsentium pauperem vertebatur, Apostolica nobis olim auctoritate commissam. Nos vero in hoc, sicut in aliis, dilectæ nobis gratiæ vestræ obsequium pronius exhibentes, ipsum de magna summa vobiscum pro modico transigere fecimus. Et ut modicum illud utilius in futuro perciperet, ad vestram per omnia descendere voluntatem. Ipse vero jamdudum miserabilibus nos lamentis infestat, asserens quod placitum transactionis vestra ei magnificentia subtrahat, nec sanctitatem vestram in aliquo moveat vel miseria pauperis, vel veritas pactionis. Quod si quid aliquando forte solutum est, post multas fatigationes et tempora semper, vel specie vilius fuit, vel deterius qualitate: super quo rogamus vos, et obnixis precibus obsecramus, quatenus in hoc honori suo, et justitiæ pauperis et molestiæ nostræ gratia vestra provideat, eique quod sub tanta venerabilium personarum celebritate promissum est, non solum fideliter, sed etiam liberaliter tribui faciatis, ne forte homo vagus et pertinax ad subsidium majestatis Apostolicæ recurrere compellatur, communem de nobis et vobis querimoniam portans, scilicet quod mandatum ejus a nobis minus fideliter adimpletum sit, et a vobis fides transactionis minus veraciter observata.

81. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Causam quæ inter Willelmum sacerdotem et Matthæum clericum vertebatur, super Ecclesia de Godarvilla, majestas vestra parvitati nostræ delegavit sine appellationis obstaculo canonice decidendam. Utraque itaque parte in nostra præsentia constituta, proposuit Will. se prædictam Ecclesiam legitime possedisse, et postmodum se per violentiam absque omni judicio spoliatum, et ideo restitutionem possessionis cum magna a nobis instantia postulabat. Ad probationem vero possessionis quam petebat quatuor deposuit sacerdotes, quorum unus inutilis, tres reliqui satis concordes in examinatione reperti sunt. At Matthæum ipsum aliquando possedisse constantissime pernegavit, ipsumque coram delegatis a sublimitate vestra judicibus, domino scilicet Rothomagensi, qui tunc Ebroicensi Ecclesiæ præerat, et domino Egidio nunc Ebroicensi, qui tunc in Rothomagensi Ecclesia Archidiaconi fungebatur officio, super eadem Ecclesia quæstionem movisse dixit et novissime eidem quæstioni coram eis abrenuuciasse publice, et eandem Ecclesiam abjurasse, et xl. solidos pro recompensatione expensarum quas fecerat accepisse. Super quo sacerdotem et acolythum et laicum quendam proposuit ad probandum, qui et ipsi in examinatione concordes inventi sunt, idque prædictis judicibus et toti Ecclesiæ Rothomagensi notissimum, quia hoc coram tota fere universitate fuerat celebratum. Quia ergo præjudicare videbatur abjurationis exceptio, neque nobis satis certam fidem eorum qui producti erant testificatio faciebat, duximus differendum, donec per judices, quibus causa delegata fuisse dicebatur, et venerabiles personas quæ asserebantur nihilominus affuisse veritatis nobis posset innotescere plenitudo.

Porro cum ipsi mecum ad domini Archiepiscopi præsentiam convenissent, et ego ab eo veritatis testimonium diligenter exigerem, Willelmus non expectato testimonio ejus, ad primam Dominicam adventus Domini vestram audientiam appellavit. Ego vero quia nolens agere cogi non poterat, et ad preces ejus ipsiusque favore videbatur sublatum appellationis obstaculum, ad læsionem ejus retorquere non debui, sed alio sicut fuerat in possessione demisso, literas utrique requisitas tradidi, per quas eorum quæ apud nos acta sunt veritas vestræ possit innotescere majestati.

82. *Ad Henricum Fiscanensem Abbatem.*

Amici nostri qui diebus istis Jerosolymam profecti sunt, ex equite me peditem reddiderunt. Et quia indignum est hominem opinionis meæ per manus humilium in equitem reformari, in vestram id duxi gloriam conferendum, quem non solum equestris ordinis dignitas, sed etiam regii sanguinis excellentia sublimavit. Hoc etiam eo studiosius vestris censui meritis reservandum, quia eos quibus tribuit vestra reddit industria cautiores, cum ita viris prudentibus amicam parsimoniam in ipsa largiendi liberalitate servetis, ut et amicus semper apud vos possit invenire quod placeat, et vobis opportuna non desit materia largiendi. Inde est quod apud vos utiliter et doctrina quæritur et proventus, ut et ditiores copia faciat, et prudentia doctiores. Sic enim vestra operatur inter utrumque discretio, ut quod virtutis est utrinque reducens, quod vitii est separet ac repellat, ne vel sobrietatem tollat effusio, vel parcitas quandoque manus contrahat affluentes. Si tamen in alterutro peccandum est, malim facilis quam difficilis, promptior

aliquando quam tardior inveniri. Porro inter omnia quæ donantur, equus est id quod donatorem pluribus occasionibus reddit obnoxium, quia si quid a laude minus est, ii quibus datur statim culpæ donatoris attribuunt, reique imperfectionem, licet de inopia quandoque proveniat, imperfectioni voluntatis ascribunt. Si durius ambulat, concussionis arguunt donatorem; seque ruinæ destinatos prædicant, si pes unquam fortuitum cespitem retusus offendat. Si durus est, aiunt ipsum de veteri domino traxisse duritiam, qui amicos segnius audire consueverit, quam equus calcaribus obedire. Si minus elegantis formæ, si minus habeat venustatis, asserunt rem informem non satis dignitati donatoris vel donatarii convenire. Interea si quid imprecandum est, non equo, sed auctori potius imprecantur, qui tot scandalis injuriam magis irrogasse videatur, quam beneficium contulisse. Palam esse, nolle eum a se quicquam ulterius implorari, qui id dederit quod negasse satius fuerat, quam adjuncto maleficio præstitisse. Certum est etiam quosdam non tantum calumniatores, sed ingratos etiam inveniri, falsa rei donatæ vitia confingentes, ut omni gratiarum debito videantur absolvi. Quisquis tamen accipit, ipsa statim susceptione redditur obligatus, et si penes eum res donata resederit, alleganti vitia ratio quasi cujusdam legitimæ præscriptionis occurrit. Siquidem in rebus donatis nec quanto minoris, nec redhibitoria locum habet, sed omnem actionem exceptio spontaneæ liberalitatis elidit. Quod si aliena bene merentibus gratia non respondet, merces tamen sua virtuti non deerit, quæ potius interioris fructus lucra considerans, satis habet simpliciter apud se de bono felicis conscientiæ testimonio gloriari. Nec enim subjecta est externæ dispositionis arbitrio, sed in sua propriæ

puritatis majestate consistens, ab indignioribus præmia non inquirit: ita tamen ut neque ex eis honeste provenientia respuat, nec pro desiderio eorum vel usu si qua novit potiora dimittat. Quod si quem fructus trahit exterior, is, sicut ait sapiens ille, non potest nisi similem materiæ sperare sententiam, quoniam fortuitis intentus non nisi fortuitos experietur eventus.

83. *Ad Dominum Willelmum de Papia Cardinalem.*

Quantam mihi gratiam in oculis vestris ab antiquo bonitas divina contulerit, præstita frequentius beneficia comprobarunt. Et ego quidem toto animo gratus extiti, sed majestatem dignationis vestræ non potuit debiti operis exhibitio compensare. Felicem tamen me, inquam, si unquam inveniar accepisse non ingrate quod vos tanta semper hilaritate gratuito contulistis, si mea signo quolibet se redemptam devotio recognoscat. Interim ad eandem experientiam in omni semper opportunitate convertor, certus quod apud excellentiam vestram veritas amicitiæ nec defectum pati, nec aliquam potest incurrere senectutem. Inde est quod magistrum G., quem ad dominum Papam pro quibusdam negotiis mitto, precor attentius ut habeat vestra benevolentia commendatum, ut tam consilio vestro doctus quam fretus auxilio, optatum in negotiis quæ portat mereatur effectum.

84. *Ad Legatos Albertum et Theodwinum.*

Mandatum vestræ sublimitatis accepi, ut Ric. Urselli prope diem Dominicæ Circumcisionis vestro submoverem conspectui præsentari, responsurum

Rob. cuidam super Ecclesia de Cormorlem, quam ille sibi dicit legitime pertinere. Feci itaque quod mandastis, quia propositum meum est cum omni humilitate et diligentia vestris per omnia præceptionibus obedire. Is vero qui vocatur, de nimia temporis assignati brevitate conqueritur, quia tam modico tempore non poterit necessariam instructionem cum multo labore et plurimo etiam dispendio comparare. Siquidem homo gravis est, et oportet eum de remotis et dispersis locis subsidia petere, et postmodum ad vos in aliam transire provinciam, cum ei ad omnimodam præparationem non fuerit spacium XV dierum indultum. Quod sane ab adversario suo callide patet esse quæsitum, quia nullam concepit de justitia et veritate fiduciam, sed propter impotentiam personæ sperat aliquid vexationibus et transactione qualibet extorquere. Porro Ecclesia illa in Episcopatu Baiocensi constituta est, neque causa ullo tempore ad Episcopi sui pervenit examen: sed ille quæsitis ab Apostolica sede literis, quia rei veritas in Ecclesia Baiocensi publice nota erat, causam ad alienum scilicet et ad Abrincensem transduxit Episcopum, ut ibi liceret ei quicquid vellet audacius affirmare. Verum dominus Abrincensis, vir sane religiosus et prudens, veritate diligentius inquisita, cognovit Ric. plus XXX annis continue possedisse, et per vicarias semper deservisse personas, suoque jure beneficia percepisse. Constitit etiam Robertum esse filium sacerdotis, quem certum erat ejusdem ecclesiæ vicarium extitisse, atque ipsum inde sibi ad petitionem possessionis fraudis præparasse materiam, quod ibi quæ patrem suum pro executione parochialis officii contingebant, aliquando perceperat, et tam suis quam matris et reliquæ paternæ familiæ necessitatibus impendebat. Repulsus igitur, et Ricardo litigii quiete

concessa, ad audientiam Romani Pontificis ad Kalendas Februarias appellavit. Misit iste, et responsum Apostolicæ majestatis expectat, sperans quod de mandato ejus a religioso Episcopo tam sancte factum est, ipsius nimirum auctoritate firmandum. Neque enim expedit provinciæ nostræ, in qua quotidie tam impudenter impudicitia convalescit, filios sacerdotum paternis altaribus adhiberi, ne incestuosi concubinatus crimen ab ipso vel a vobis profusa benignitate videatur indultum, nec spurcitiæ soboles sanctuarium Domini exemplo paternæ pravitatis incestet. Oculi itaque vestri videant æquitatem, si ad recognitionem jam cognitæ veritatis, Episcopus ad quem ab initio causa suo ordine pertinebat, de ea legatione quam de vestra voluntate suscepit, debeat expectari: si appellationi sedis Apostolicæ deferendum est, si religioso Episcopo qui cognovit ex delegatione credendum, si denique spatium majus indulgendum est, ut perspectis etiam omnibus filio nostro in jure suo nostra videatur intercessio profuisse.

85. *Ad Albertum et Theodwinum Cardinales.*

Pro viro venerabili Reginaldo Bathoniensi electo excellentiæ vestræ nos supplicasse meminimus, quod scilicet ab ecclesia illa concorditer electus sit, et unanimi omnium voluntate susceptus, quod quidem adeo certum est, ut nihil in toto regno sit notius; nec aliquis est qui vel personæ disponat obsistere, vel facto electionis velit in aliquo derogare. Sane negotia et bona ecclesiæ quiete cum omni potestate disponit, et quicquid ab electo episcopo citra gratiam consecrationis expediri potest, ordinat et dispensat. Quia vero sine consensu auctoritatis vestræ ad perfectionem gratiæ illius pervenire non potest, misit ad vos

ecclesia illa venerabiles et electas de tota universitate personas, quæ vice omnium a bonitate vestra complementum promotionis ejus pronioribus votis exquirerent et obnixis precibus implorarent. Vidimus eos, Thomam scilicet Archidiaconum et A. monachum ecclesiæ illius, (quoniam ecclesia illa conventum monachorum habet non collegium clericorum,) et magistrum Lanulfum, viros literatos equidem et prudentes, et approbatæ a pluribus honestatis, negotium scilicet istud ex delegatione omnium omni studio prosequentes: sed viam, qua ad vos pervenire possint, nullatenus invenire potuerunt. Laboravimus cum iis et plerique alii, nec ulla securitas penetrandi ad vos potuit inveniri. Præsertim quia negotio illi rex junior, qui in partibus illis commoratur, dicitur adversari. Ad suffragandum itaque votis eorum, literas tam ab humilitate nostra quam ab aliis diligentius impetratis nuntium per se, quem habitus arctioris religionis et paupertas absconderet, ad proferendum negotium, quia aliter id fieri non poterat, transmiserunt. Quia igitur tantæ rei effectus non nisi instantium bellorum importunitate et casibus fortuitis impeditus, sanctitati et officio vestro credimus convenire, et ad idem etiam devotas preces duximus adjungendas: ut quod residuum est, compleat et confirmet: ne vota ecclesiæ ludificari permittatis, et ipsius utilitates amplius impediri.

86. *Ad dominum Papam Alexandrum.*

Est quiddam quod tam meam quam alias vehementer angit Ecclesias, quorumdam scilicet rapax et intemperans audacia monachorum, qui quo liberius effluant, sæcularis potentiæ præsidia redimentes, primo Episcopis omnem obedientiam subtrahunt, et

parochiales Ecclesias cum altariis et decimationibus, cæterisque beneficiis de manu laica recipere pactis quibuslibet sacrilega temeritate præsumunt. In his ergo ab eis nec Canonicus ordo, nec Episcopalis assensus exigitur; sed devocatis ad proprietatem omnibus, mercenarios in tanta paupertate ibi constituunt sacerdotes, ut ad exhibitionem suam et ad onera Ecclesiæ portanda non habeant quod opilioni sufficeret aut cursori. Generale est hoc, sed in Episcopatu meo vehementius hæc est grassata malignitas, nec jam nobis cujuslibet rationis obtentu, sed fallaciis ac muneribus nobis præsidioque violentiæ sæcularis obsistunt. Ad quod secundum ordinem institutionis Ecclesiasticæ reformandum, cum ego adversus Abbatem quendam et monachos monasterii cujusdam in Episcopatu nostro, scilicet sancti Ebrulfi, a sublimitate vestra primos, secundos, et tertios judices impetraverim, Abbate semper multis artibus obsistente, nihil est adhuc effectui mancipatum, cum sacerdotes nostri in executione causæ apud judices assignatos multis attenuati sumptibus, multis laboribus sint affecti. Habemus autem et alias causas adversus eundem Abbatem de multiplici et contumaci inobedientia, cum tamen ad exhibendam nobis obedientiam et reverentiam vinculo juratæ professionis teneatur astrictus. De alio quoque perjurio, quod post præstitum corporaliter juramentum de exhibenda ad mandatum nostrum satisfactione, coram multis venerabilibus personis manifeste contraxit, in eo scilicet quod post sententiam suspensionis et anathematis, per quinquennium et eo amplius Missas et cætera præsumpsit divina officia celebrare, donec cognita coram legatis vestris veritate quam dicimus de necessitate magis, quam de pœnitentia nobis se præstitit absolvendum, jurato nimirum quod ad man-

datum nostrum super tribus expressim staret excessibus, et modum impositæ sibi satisfactionis impleret. De privilegio quoque a vobis per subreptionem elicito idem Abbas vobis et Ecclesiæ nostræ tenetur obnoxius, super quo jam tertio ipsum ad vos cum privilegio mitti inventa nimirum falsitate jussistis. De heremo etiam quadam quæ a nobis et fundatore quibusdam regularibus et religiosis fratribus collata est, a prædicto Abbate et monachis post appellationem ad vos factam noviter occupata, et aliis quibusdam, quæ reverentiæ vestræ in omni veritate fides et sedulitas nuncii nostri plenius explicabit.

87. *Ad Henricum Baiocensem Episcopum.*

Memini me pro latore præsentium olim vestræ excellentiæ supplicasse, quia mihi pro eo quorumdam quibus ego deesse non poteram instantia supplicabat. Exaudistis ex parte, quia ab irroganda severiore sententia temperastis ad tempus, nondum tamen ei optatum beneficium perfectæ liberationis arrisit. Instant igitur qui ab initio profusis precibus institerunt, eoque obnixius quia noverunt quod dilectio vestra preces meas consueverit exaudire. Preces igitur iterare compellit iterata precatio, et me genibus vestræ caritatis advoluit, ut hic se multiplicatis precibus uberioris remedium gratiæ gaudeat invenisse. Audivi etiam dominum Archiepiscopum, et dominum Abrincensem scripsisse pro eo, eosque culpæ quam contraxit clementer ignoscere, quia ad inquisitionem vestram maluit humiliter confiteri quod fecerat, quam duplicata culpa conscientiam suam obfuscare mendaciis, aut de vestra misericordia desperare. Preces itaque precibus et consilio eorum censui fiducialius adjungendas, ut si majestas vestra admonitioni eorum

duxerit obsequendum, mea quoque tantæ auctoritati intercessio suffragetur.

88. *Ad Cantuariensem et Tarentasiensem Archiepiscopos.*

Causam venerabilis fratris nostri Reginaldi electi Bathoniensis audivimus ab Apostolica majestate vestræ experientiæ commendatam. Gavisi sumus quod veritatis amatoribus veritatis est commissa cognitio, apud quos nec justitia periculum incurrere poterit, nec innocentia detrimentum. In quo si personam respiciatis, vir est cujus prudentia, cujus honestas, cujus virtus et industria publice multis ipsisque probabilibus innotuit argumentis. Si factum electionis inquiritur, omnium, ad quos pertinet, in personam ejus unanimi concordia vota concurrunt, statumque ecclesiæ multis labefactum temporibus certissime confidunt ipsius magnificentia reparandum. De eo autem quod ei ab his, ad quos non pertinet, tam mendaciter quam imprudenter objectum est, certis probationibus constabit vobis nihil esse nisi odii et invidiæ quæstionem. Nos vero, quibus de proximo certius et facilius veritas potuit apparere, de multorum, quibus fides adhibenda est, creditur testimonio, et publica assertione didicimus, nativitatem hujus, de qua queritur, sacros patris ordines præcessisse, ipsumque patrem eo tempore licite, si præoptasset, militare vel matrimonium contrahere potuisse. Agite itaque et calumniam hanc, quam non aliunde quam de zelo malitiæ deprehendetis exortam, secundum datum vobis a Deo spiritum et potestatem media ratione discutite, nec vota ecclesiæ ludificari diutius dilatione aliqua permittatis; sed injuriæ huic debitæ benedictionis indulto ipsum

quam citius ad ecclesiam destinatæ, ut ex hoc nec in spem meliorem attritæ diutius ecclesiæ desideria convalescant, seque populus ille optatæ consolationis subsidio gaudeat assecutum.

89. *Ad Rotrodum Rothomagensem Archiepiscopum.*

Monachus ille L. olim Cormeliensis, pro quo sanctitatem vestram rescriptum Apostolicum scribitis accepisse, de monasterio illo egressus est et tertio misericorditer est receptus. Egressus quarto quum ipsum Abbas et fratres pro commissis in ecclesia sacrilegiis quæ etiam verecundia prohibet recitare duplici etiam sobole de meretricibus ante fores monasterii suscepta, suscipere recusarunt, in præsentia nostra et Abbatis P. Cellensis fratrumque nostrorum publice de omnibus tam convictus quam confessus, ab Abbate literas dimissorias impetravit, abjurato ad totam vitam Abbatis monasterio et tota banleva monasterii quia se ignem missurum publice fuerat comminatus hæc abscessit. Porro quum ipse postmodum ad notitiam Willelmi de Papia Cardinalis, me et Abbate præsentibus detulisset, recensita veritate ab ipso auctoritate Apostolicæ sedis repulsus est et damnatus. Exinde perlustratis terris, rejecto prorsus habitu monastico, factus Apostata, ut parcius dicam, omni se dissolutioni publice mancipavit. Novissime si majestatem Apostolicam cui hæc nota esse non poterant, circumvenire mendaciis attentavit: apud vos veritati et justitiæ præjudicare non debet: cui nos eorum, quæ dicimus, manifestam faciemus per omnia veritatem. Scitis autem prudentiam Apostolicam nihil in rebus dubiis percipere definitum, sed omnia mandata ejus conditionem habent implicitam, scilicet, si preces veritate nitantur

eisque quibus hujusmodi mandata mittuntur in omnem causam, partes judicis cognitio scilicet et pronunciatio reservantur. Quieti igitur monasterii et claustralis disciplinæ sanctitas vestra provideat, ne reducto auctore iniquitatis, cæterorum qui per pœnam istius correcti sunt reviviscat audacia, et exemplo veniæ remissioris ipsorum denuo malitia convalescat.

90. *Forma transactionis de quadam commissione.*

Causas quæ sive ex ordinaria jurisdictione nostra, sive ex superiori delegatione, ad nostram audientiam perferuntur, sicut media ratione decidere, sic decisas oportet veritatis testimonio communire, ne ad renovandum vetus litigium qualibet audacia quæstio rediviva consurgat. Causam igitur, quæ inter venerabilem fratrem nostrum Simonem Abbatem Sancti Andrææ et fratres Hospitalis Hierosolymitani super testamento illustris viri Hugonis de Pinu vertebatur, ex Apostolica delegatione suscepimus sine appellationis obstaculo terminandam. Auditis itaque utriusque partis allegationibus quum meticulosa judicii necessitas videretur instare, nostro se pars utraque commisit arbitrio et litigium omne per nos amicabili compositione sopitum est. Siquidem pecuniam, quæ apud prædictum Abbatem a prænominato illustri viro dicebatur fuisse in deposito constituta, in necessarias et pias causas secundum tenorem testamenti, censuimus dividendam; sicut nobis eorum, qui a fratribus Hospitalis producti sunt, testimonio factum est manifestum. Unde assignata creditoribus et necessariis personis ipsique Abbati aliisque diversis pauperibus congrua portione, ipsis nimirum fratribus Hospitalis intuitu religionis et paupertatis eorum plurimam assignavimus portionem: adhibito in om-

nibus eorum consensu, ipsorumque utilitatibus, ipsumque Abbatem duximus super hac quæstione penitus absolvendum.

91. *Ad Henricum Regem Angliæ seniorem.*

Venturus eram ad vos, sed me senectus et infirmitas et debilitas retinent, quasi quibusdam reprimentis impotentiæ vinculis alligatum: sed et a multis partibus multis vexor injuriis, in quibus nullum remedium nisi de gratia vestræ bonitatis expecto. Mitto itaque ad vos Johannem de Abbatia hominem fidelem vobis pariter et devotum, quem audire vice mea et precibus meis ad momentum velitis aures regias inclinare. Obsecro reminiscatur excellentia vestra fidei, devotionis et obsequii, honori et utilitati vestræ ab ineunte pueritia vestra a me semper exhibiti, et in opportunitatibus meis apud vos merita mea mihi quandoque respondeant, nec impotentiam senectutis meæ dignetur magnificentia vestra conterere; sed hominem ad omnem patientiam cum omni humilitate voluntati vestræ semper expositum, liberalitate regia confovere, et novissimos dies meos, quibus adhuc apud vos modico tempore futurus sum, permittatis, immo faciatis in lætitia consummare. Non me permittit puritas conscientiæ meæ de vestra sapientia desperare, apud quam sæpius in multis et maximis gratiam merui, et si quid quandoque per ignorantiam aut simplicitatem minus prudenter actum est, fides semper et veritas et sedulitas impensi incessanter officii compensavit. Ad summam meliora sunt vere diligentis sæva consilia, quam fallax assentatio blandientis, sicut novissimo tempore gravibus indiciis vestra majestas experta est, quando scilicet amicis fere desperantibus magnificentiæ vestræ terror invaluit et

omnes conatus hostium vestrorum, Deo propitio, vestra sunt industria pariter et virtute compressi. Memini adhuc, neque hoc unquam aliquid a mea poterit extorquere memoria, sublimitatem vestram me inter initia vestra in ulteriorem gratiam recepisse, meumque semper, quo sæpius utebamini, vobis in omni tranquillitate fecisse consilium, adeo ut nihil unquam dispendii, nihil laboris, nihil cujuslibet confusionis attulerit, sed omnium operum vestrorum quasi de miraculo procedere magnalia videbantur. Non erat qui vestræ præsumeret obsistere potestati: quia tunc omne opus vestrum disponebat ratio, dirigebat justitia, misericordia temperabat. Postquam vero mendax adulatorum turba convaluit, potuitque lethalia venenati mellis blandimenta licenter infundere, affectioni justitia, ratio cœpit cedere voluntati, et meliore consilio præformatos olim sensus in contrarios quandoque dolosa sedulitate convertit affectus. Unde nimirum certum est ortum esse quod accidit, quod radix, quæ viriditatem de justitia et veritate non contrahit, ad jocundos et utiles fructus novissime pervenire non potest. Sane verum est bona quandoque vexationibus concuti, et quæ mala sunt fallaci quadam ad tempus lætitia prosperari; sed divino judicio semper suus novissime rerum meritis respondet eventus. Sic est: inconsultorum operum exitus infelices pœnitentia sera sequitur, quæ dolori quidem materiam comparat: sed nulla eorum quæ provenerunt detrimenta restaurat. Inde verbum celebre est Sapientis illius: Omnia fac cum consilio et post factum non pœnitebis. Porro consilium est aliquid faciendi vel non faciendi vere excogitata ratio, sicut Tulliana nobis eloquentia definit. Intelligat Dominus meus tria definitionem formare consilii, unitatem, diligentiam, rationem, ut scilicet quod fit aut dicitur,

nitatur unitate, dirigatur studio, ratione formetur. Quicquid enim stabilem non contrahit de veritate substantiam, ruinæ et defectioni necessario tenetur obnoxium, ut videlicet quod de nihilo ortum est redigatur in nihilum, nec in fundamenti alicujus soliditate subsistit. Quod quasi de inani quodam præstigio falsitatis effulsit. His etiam quæ vera sunt, oportet semper cum instanti diligentia rationis adhibere judicium, ne quis alienam quietem turbare vel jus alienum confidentia potestatis præsumat invadere, sed modum justitiæ continenter amplexus, superioribus reverentiam, gratiam inferioribus, proximis exhibeat caritatem et ad omnem partem mentis acie callide circumducta. Sic omnis omnium de propria conscientia metiatur affectus, ut aliis se talem in beneficiis et offensis curet impendere, quales eos vellet in suis opportunitatibus invenire. Verum qui præstant, officii sui debitum arctius tenentur agnoscere, ut se dominium potius ad custodiam quam ad violentiam accepisse cognoscant, nec eum, cui cura est de illis, Deum scilicet, putant ob aliam causam iis fastigium dignitatis copiam divitiarum, potentiæ gloriam contulisse nisi ut eos in opus ministerii collocaret reddituros nimirum de singulis suo tempore sub severo districti judicis examine rationem. Qui ergo periculum administrationis accepit, rationem præparet ad reddendum, quia usque ad quadrantem comminatur se qui credidit exacturum. Quod si sua cum hujusmodi potentibus gloria non descendit: nec enim iis ascensus promittitur sed descensus. quid exigenti proferet quod nihil reservavit sibi quod habeat ad solvendum? Nempe carnem et spiritum, quia nihil est eorum quæ rapta sunt quod subsistat, neque alius esse poterit satisfactionis modus, nisi ut pœnam perpetuam solvat, qui non habet aliud unde possit a

debito perpetuo liberari. Meminisse debent ab eo sibi commissas esse qui eos proprii sanguinis redemit impendio et mortis etiam amaritudine liberavit: a quo ejusdem substantiæ naturam idem redemptionis pretium omnium eadem consummatio et merces est: non est de quo alii adversus alios possint privilegio gloriari, nisi quia qui præsunt graviori ruinæ et majori periculo sunt objecti. Scripsi diffusius, quia verborum copiam devotio ministrabat, singulaque mihi dicta necessaria videbantur ut fidelis admonitio vestræ vos faciat gloriæ reminisci. Utinam viros virtutis et consilia fortium regia majestas estimet et agnoscat, ne spiritus iniquitatis et mendacii, fallacibus blanditiis robur regalis potestatis enervet, et ad opera maliciæ vel defectus contrahat et inclinet.

92. *Ad Henricum Regem Angliæ seniorem.*

Sicut vobis in Normannia dixeram, veni in Angliam ad vota orationum Domino persolvenda. Quumque inde ad præsentiam Domini mei magno desiderio traherer, audivi vos Eboracum et ad remotas illuc tendere regiones, mihique nulla spes relicta est nullaque fiducia consequendi. Proficiscor tamen, lento licet itinere, quia celeritatem mihi senectus et debilitas non indulgent sed quasi quibusdam reprimentis impotentiæ nexibus detinent alligatum. Placeat igitur domino meo præcipere mihi, ubi et quando vestræ possim occurrere majestati, ne quod potentiæ mihi residuum est incerto ideoque vago circuitu consumatur. Desidero etenim quam primum videre faciem domini mei ut oculis meis jocunda regii vultus serenitas illucescat, et ab injuriis diutinisque laboribus exhibita mihi solita benignitate respirem. Valete.

93. *Ad Henricum Regem Angliæ seniorem.*

Orationis causa profectus in Angliam, statim ad videndam domini mei faciem festinavi, quia me ad hoc tam devotio quam necessitas invitavit. Audistis me et in aliquibus exaudistis, sed adhuc nobis majora differre in futurum, adjecta tamen promissione, in qua de jucunda mihi collatæ spei securitate respiro. Promisistis siquidem quod exinde mea diligenti inspectione opera probaretis et secundum meritorum qualitatem suo tempore apud vos mea mihi justitia responderet. Gavisus sum de sincera bonæ conscientiæ meæ veritate confisus quod nulla culpa excellentiam vestram exasperari patietur, vel benevolentiam denigrari; neque ex hoc nunc prudentiam vestram circumveniet astuta malignitas invidorum sed secundum doctrinam evangelii ipsis credetis operibus, et vestra de manifestis rerum argumentis censura procedet. Atque utinam cum inspectione præsentium velit aliquando perpetuæ fidei devotionis et obsequii mei vestra dignatio reminisci, et quæ inter alios meo singulariter consilio et industria honori vestro et utilitati quandoque provenerint, quos denique labores et sumptus vobiscum cum omni semper hilaritate pertulerim, quibus vires corporis et rerum facilitates per triginta annos continuos attritæ sunt et consumptæ. Successisse mihi dicerem, immo animi lætitia gloriarer, si vel in modico vestræ sensissem inhæsisse memoriæ ea, in quibus nullo modo decipi potuistis, sed oculata fide et multiplici semper agnovistis effectu. Et ego quidem a secundo anno regni vestri gratiam vestram, qua me semper fueratis exuberanter amplexus, sensi mihi quorundam delationibus imminutam, quos ego certe bona fide, familiaritati et consiliis admoveram quia prudentiam eorum

et industriam vobis utilem fore credebam, et me ab eis apud vos in ea, quam merueram, benevolentia conservandum. Porro evenit mihi quod infelici multis experimento certum est evenisse, ab iis me scilicet aliquantulum repulsum esse, qui mea fuissent sedulitate promoti. Sic enim est; inter eos, qui viris sublimibus sunt acceptiores et intimi, sæpius rara fides vertitur et rara dilectio: seque student multis artibus prævenire: quia quisque sibi crêdit attribuendum, quicquid fuerit alii derogatum. Quo sane intellecto, censui honori vestro et utilitatibus fortius insistendum, ut studium et perseverantia mea confusionem posset inferre fallacibus, et mihi plenitudinem gratiæ vestræ, cujus manifestum erat aliquot adhuc restare reliquias, reparare. Profeci aliquando, sed ad antiquam plenitudinem pervenire non potui: sed in novissimis vehementius exasperatum sentio: quem ego in novissimis, Deo teste, totum speraveram sincera fide et promptissimis obsequiis redemisse. Revertatur utique dominus meus ad cor, quoniam miserendi tempus advenit, nec ego propono apud vos ulterius de meis aliquid meritis allegare: sed solam humiliter implorare clementiam, quæ quanto desiderabilior est, tanto majoris debet in principibus æstimari, quam si pœnitentiæ delinquentium impendi gloriosum est, profecto non debebit innocentiæ denegari. Notum me toti orbi longior ætas et discursus multiplex reddidit et acceptum, atque inhumanum fortasse reputabitur a pluribus, si innocentiam meam et novissimæ senectutis tempus vestra severius dignatio prosequatur; si duriorem tuleritis de ambigua suspicione, potius quam de rerum veritate sententiam: si imminentis sepulturæ claustrum cum lacrimis et mœrore feceritis introire: si statum ecclesiæ labefactari sustinueritis: quam in diebus meis de

paupere divitem, sublimem de humili, prædicabilem de obscura vestræ serenitatis beneficia reddiderunt.

94. *Ad Willelmum Decanum Baiocensem.*

Sicut novit prudentia vestra causam, quæ inter Cenomannensem episcopum et Clementem vertitur, sub eo modo nobis et vobis Romani pontificis delegavit auctoritas, ut si alter vestrum non vellet vel non posset interesse, alter nihilominus sine appellationis obstaculo definiret. In quo manifeste datur intelligi in absentia alterius, totam alteri consignari cognitionis et judicii potestatem, nec is qui absens est, jus habet vices suas alii committendi, quia in alterum tota negotii decidendi concedit auctoritas: sicut ejus qui delegavit superior excellentia præfinivit. Porro quia me in Angliam multarum importunitatum ad præsens trahit instantia; oportebit vos locum utriusque supplere, causamque singulari judicio definire.

95.

Quantum apud Dominum nostrum profecerim in Anglia, vos vidistis, qui mecum ad tædiosam importunæ supplicationis durastis instantiam et demum severioris repulsæ contumeliam reportastis. Timeo induratum adversum me, nec facile ad cor ullo unquam tempore rediturum, quia concepta semel ira vel odium nec placari facile consuevit, nec ad gratiam revocari. Et ego quidem a secundo anno regni ipsius id crebris ipsisque certissimis indiciis intellexi, quoniam innocentiam meam semper exinde, vel manifeste vel quasi occulte, sub typo quodam dissimulatæ severitatis oppressit, et omnem tam a me quam a

meis proventum cujuslibet honoris vel utilitatis exclusit. Non potuit fidei puritas vel sedulitas obsequii vel labor intemperans, vel sumptus excedens, vel industria consilii in magnis vel maximis rebus efficaciter et ad gloriam majestatis insistens, concepti sine causa rancoris amaritudinem declinare: sed mirabili perversitate quæ gratiam penitus redemisse debuerant, sincera potius odium merita provocabant. Instabam itaque fortius et quasi ad evincendum merita meritis cumulare certabam; ut inspecta laudabilium operum luce erubesceret adulatorum confusa malignitas et ab invito domino etiam favorem frequens et officiosa veritas extorqueret. Non proficiebam et ipse tamen interim meo nihilominus instanter utebatur officio, et exclusum ab his, quæ ad proprium libere disponere prævalebat arbitrium, studiose ac memoriter ad majora consideranda vocabat: in quibus eum ad habendum consilium cum rei quantitas tum periculosus eventus, tum difficultatis angustia compellebat. Vicesimus annus exactus est, ex quo ego miserabiliter in hoc agone sudavi, quia indefessam perseverantiam conscientia sincera firmabat, quia excellentium jugis exhibitio meritorum. Non peccavi, etsi quid forte peccatum est, reatus tamen libertatem regiæ clementiæ non excedit, et sine dolore meo debuit saltem detrimentis nil male merentis ecclesiæ commoveri, ne de aliena afflictione gloriam neque dulcem sibi de aliena amaritudine contrahere voluptatem. Mirum autem est quod inter injurias, quas patior et lacrimas affluentes, nondum de visceribus meis potuit zelus altius radicatæ dilectionis avelli: nilque mihi constat amarius quam quod fidelissimo crimen fraudis imponit, diligentique rependit odium, nec in aliqua me permittit in futurum existimationis ejus et gratiæ fiducia respirare. Mitto ei

literas omni humilitate et supplicatione plenissimas: sicut vobis ex rescripto earum poterit apparere, quas vellem ei explorata opportunitate sub præsentia vestræ caritatis offerri ut eas semel totas vestro studio intercedente sustineret audire, mihique a vobis significari literis, si quod responsum acceperitis aut speratis effectum.

96. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Ad audientiam majestatis vestræ cujusdam illustris viri querela perfertur, quem pluribus de causis constat mihi multiplici ratione devinctum, ut ei in necessitatibus suis jure tenear præstare, præeunte quidem justitia, consilium et auxilium opportunum. Uxorem habet, ad quam quum totius paternæ hæreditatis proventura successio crederetur, producitur ex insperato puella et de secreto furtivæ educationis adducitur, quam sub diuturna viri absentia de adultero progenitam tota terra cognovit: atque is qui pater exquiritur, publice coram episcopo loci, coram archiepiscopo provinciæ, coram etiam ipso rege requisitus suam esse constantissime pernegavit, omnesque fere quibus illa proxima cognatione conjuncta est, testimonium legitimæ nativitatis nulla præsumunt audacia perhibere. Sub hac igitur spe obtinendæ dolo hæreditatis, nupsit cuidam, qui cum fautoribus suis falsum patrem tam minis quam promissis sollicitat ut eum a persecutione publice protestatæ veritatis avertat. Appellatum est ad vos apud quem veritati et justitiæ non poterit dolus vel violentia prævalere, nosque eo securius vestræ scribendum duximus majestati quod non quasi preces de incerta re, sed de nota perhibemus testimonium veritate.

97. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Si venerit ad præsentiam majestatis vestræ sacerdos quidam, Johannes nomine de Grimovilla, venientem sapienter accipite, quoniam excommunicatus est, et per annos circiter decem in excommunicatione permansit: siquidem manus violentas injecit in monachum, ipsumque sacerdotem, sanciumque et plurimo cruore perfusum, sicut dicitur, penitus occidisset, nisi eum fortiter hi qui stabant cum monacho repulissent. Quo facto quum manifestum esset eum in anathematis incurrisse sententiam, nec absolutionem a Romano Pontifice quærere voluit, neque satisfacere monacho, nec nobis aliquatenus obedire, sed ad remotas partes alterius episcopatus abscedens sub prædicto vinculo furtim ordinem sacerdotis accepit, et in partibus illis, me ignorante, in ordine sic percepto publice ministravit. Ad hanc vero perversitatem exercendam, ipsum a primis adolescentiæ suæ annis cæca traxit ambitio, acquirendæ scilicet in episcopatu nostro cujusdam parochialis ecclesiæ, quam per violentiam plebeiæ multitudinis, cui ipse cognatione conjunctus erat, credidit obtinere. In qua quum duodecim annorum et eo amplius spatia consumpsisset, nullis meritis a me nulla justitia debuit exaudiri: quia me ex ea causa frequenter offendere, et ecclesiam multis injuriis non destitit infestare. Defuncto itaque sacerdote, qui in ecclesia illa annis circiter quadraginta ministraverat, ego ad monachorum Pratellensium repræsentationem, ad quos pertinebat, personam idoneam subrogavi, eoque celerius ut esset qui pervicaciæ ipsius posset obsistere, ne scilicet iste vacantem ecclesiam confideret facilius occupare. Frustratus hic et omni diutinæ spei solatio destitutus, a legatis vestris ad archiepiscopum

literas impetravit, ipsumque ad eum sublata mihi ignoranti et invito ordinaria jurisdictione miserunt. Apud quem quia inter propinquos et conscios agebatur, tanta adversus eum processit instructio, ut ipsius facile crimina convinci possent et calumnia deprehendi. Interceptus itaque manifestæ veritatis indiciis, quum ei alia non pateret occasio, ad audientiam vestram ab Archiepiscopo quem judicem præelegerat, appellavit, sperans, si causæ fuerit delegata cognitio, judicem juramentis circumvenire fallacibus vel vexationibus aliquid extorquere. Quia igitur, uno per mendacium obtinente, plurium audacia convalescit exemplo, publice interest ut benignitas vestra perversitati hujusmodi hominum nimis credula non existat, nec judices de optione sua, sed de vestra potius experientia sortiantur. Siquidem pertinaci a vobis postulant instantia, quos redimi posse confidunt, vel quibus ad omnem casum familiari gratia sunt conjuncti. Unde si eum, de quo scribimus, in vestra præsentia contigerit inveniri, si placet, quæri facite, a quo episcopo primum, a quo novissime fuerit ordinatus, quis eum a sanguine sacerdotis absolverit, a quo et quo tempore ei fuerit donata ecclesia, quam quærit; quum infra hoc triennium sacerdos decesserit: quem ibi constat plus annis quadraginta continue ministrasse, nec ecclesia huic potuit ullo jure superstite sacerdote conferri. Quod si ab ordinatione mea, qua primum usus est, ad alium episcopum sine conscientia mea et dimissione transivit, manum ordinatoris agnoscat et titulum quem accepit; quia ego alienæ ordinationis clericum, ipsiusque furtivæ, de jure recipere non compellor, præsertim quem tantis novi criminibus irretitum.

98. *Ad Hugonem Lexoviensem Archidiaconum nepotem suum.*

Literas pœnitentiæ et conversionis tuæ lætabundus accepi, quæ utinam de sancta voluntate processerint et in fidei stabili veritate consistant. Quia vero operibus credendum esse doctrina veritatis instruimur, opera contemplabor, quæ utinam talia sint, ut veterum debeant delere memoriam, condignosque faciant fructus, quibus detrimenta præcedentia recompensent. Si vero animum, quem ab initio in multis utilem et benignum gratis expertus es, tua ut parcius dicam negligentia denigravit, a colore concepto in antiquum candorem procedentia poterunt merita revocare, et ingenuos quidem mores tuos ab offensione vestra præcepta debent beneficia cohibere, donec aliquam vel in modico gratiarum retuleris actionem. Sane ingrati damnatus omni beneficio se probat indignum, adeo ut ex ea causa libertus in servitutem revocari possit, et qui de percepta misericordia alii non impertit, usque ad novissimum quadrantem in eo, quod dimissum est, divino judicio condemnatur.

99. *Ad Henricum Regem Angliæ seniorem.*

Audita instanti transfretatione vestra, ad vos tanquam ad Dominum meum venire cum omni festinatione curavi, ut oculis meis regii vultus serenitas illuceret, et impotentiam senectutis et debilitatis meæ jocundi sermonis vestri gratia recrearet. Veni equidem, sed longe aliter quam speraveram omnia processerunt, quoniam non nisi in paucis audiri merui nec in quolibet aliquatenus exaudiri. Veni, inquam, dicturus sicut existimabam vobis Vale no-

vissimum, atque idem a vobis cum gaudio recepturus, ut post tot merita mea et excedentia beneficientia vestra in novissimo discessu ad bonum perpetuæ caritatis et pacis animorum sibi invicem concordia responderent. Quicquid autem acciderit aut quocunque futurorum se convertat eventus: gloria mea erga vos est testimonium conscientiæ meæ. Quoniam ab omni delicto prorsus immunis sum et inter omnes, quorum honori et utilitati vestræ fides et devotio profuit, ut modestius dicam, mea possunt majoribus merita coæquari. Siquidem trigesimus annus exactus est ex quo ego semper in obsequiorum vestrorum agone sudavi. Quod si aliquando delatorum invidia adversum me motum vestræ mentis quemlibet excitavit, tanto steti securius, tanto virilius et efficacius institi, ut adulatorum mendacia jure fide mea possent et magnificentia reprobari. Cœpi a puero, et vos per adolescentiam, juventutem, virilem ætatem ad senectutis annos prope perduxi, totumque corpus et animam, studium et laborem, pecuniam atque tempus impendi: mihique nunquam aliquid fuit delectabilius quam honori vestro et proventibus inservire. Ea certe fiducia, ut mihi in novissimis diebus meis liberaliter excellentia regia responderet. Si non deliqui, cur patior? Cur non magis credit dominus meus veritati operum eorum quam incertis suspicionibus et mendaciis delatorum? Quod si deliqui, quod non venia sed ultione dignum debeat judicari, salva vobis est ultio, dum tamen sententia non de incerto, sed legitime de rerum veritate procedat. Ad summam hoc unum ipsumque præcipuum a Domino meo cunctis vellem precibus impetrare, ut mihi de benevolentia ipsius spes aliqua relinquatur quam in sinu meo custodiam, velut thesaurum absconditum, atque in ipsa mihi liceat omni tempore respirare.

Dicturus eram vobis aliqua quum a vobis recessi, sed opportuna mihi non refulsit occasio, quæ tamen per latorem præsentium in schedula vobis scripta transmitto; quorum si qua vobis facere placuerit, ego cum omni gratiarum actione recipiam. Quod autem differre volueritis, ego in silentio cum omni humilitate et patientia sustinebo.

100. *Ad Walterum de Constantiis.*

Quod ita, sicut audistis et vidistis, a Domino rege dimissus sum, gratia mihi vestra compassa est, et confusioni meæ meisque condoluit detrimentis. Sane in articulo temporis illius prægravis mœroris amaritudine adeo animo constitutus sum, ut quicquid mihi potius agendum esset, videre non possem, sed potissimum celerem fugam remedium credidi: ideoque a facie indignationis ejus quantocius tanquam fugitivus exivi. Revertens itaque quum animus meus ad multa de liberatione plurima raptaretur, cogitavi quod celerem exitum meum non metum sed contemptum potius et superbiam reputaret: quia motum ejus nec diutina supplicatione neque longis fueram precibus prosecutus. Decrevi itaque ad ipsum cum omni festinatione reverti, ut quod minus bene factum fuerat, videretur prudentior pœnitentia restaurare et suspicata superbia humilitatis substantia tolleretur. A domo itaque mea, quam prope Baiocas habeo, ego Cerasiacum usque perveni, ibique adeo mihi impotentia contractæ debilitatis invaluit, ut progredi salva corporis incolumitate non possem, quia omnes fere vires corporis mei consumpserat labor et aviditas revertendi. Quum itaque decidissem in lectum, nihil aliud potui quam vice mea literas et nuntium destinare, ut apud Dominum meum negotia mea litera-

rum veritas et nuncii sedulitas explicarent. Quem etiam ad dilectionem vestram censui præcipue destinandum ut studio vestro opportune introducatur ad regem et vos si ita poterit accidere literas audiatis, ut inde scilicet majorem occasionem possitis accipere quid vobis agendum sit aut dicendum. In literis autem nihil nisi humilitas et supplicatio continetur, adeo ut si velit de liberalitate regia reminisci, ad exaudiendum jure debeat inclinari.

101. *Ad Henricum Regem Angliæ seniorem.*

Auxilium liberale mihi de regali munificentia promisistis ad recedendum scilicet de statu isto, in quo diu sine periculo salutis esse non possum: et ad securiorem vitam propitiante Domino demigrandum. De vultu itaque vestro judicium meum prodiit, et causam meam necessitas et inopia peroravit, dum in me et profectum provectæ senectutis attenditis, et æri alieno copiam non suppetere facultatis. Excessit omne meritum meum vestra dignatio, et importunitate mea commode gratiæ vestræ plenitudo respondit. Super quo reminiscatur utinam Dominus meus, Dominum Petrum legatum vestrum, magnæ honestatis et prudentiæ, non solum suggessisse vobis factum hoc et approbasse, sed multis etiam extulisse laudibus dignum regia majestate beneficium, si in tanta opportunitate mea fideli et vere dilectori suo manum propitiam benignæ largitatis impenderet; quem toties in opportunitatibus suis promptum fidelem et utilem multis sit argumentis expertus. Utinam Dominus meus secundum doctrinam evangelii credat operibus, neque blandis adulatorum fallacibus seducatur, qui totum sibi deperire reputant, quod alienis viderint utilitatibus impertitum. Omnem

igitur vitam, qua ego vobis a juventute mea incessanter adstiti, bonitas vestra media veritate recenseat, ut debita meritis gratia rependatur. Nostis, Domine, me hominem multorum dierum esse, multisque notum regionibus et personis acceptum; multis etiam majestatis vestræ magnificentiam complacere, si viderint vel audierint me a vobis cum lacrimis non amaritudinis sed devotionis exiisse. In procinctu sum, nec recessum meum aliqua retardat occasio, si tantum opportunitatibus meis vestro fuerit beneficio satisfactum. Miseremini itaque, miseremini mei, quia miserendi tempus advenit, ut omni temporalium rerum labore deposito, ad requiem contemplationis divinæ transeam ubi pro salute quidem mea et vestræ majestatis honore pariter et proventu incessanter devotio sedula preces offerat efficaces. Tractaverunt mecum Dominus Rotomagensis et Baiocensis episcopi et alii quidam fideles vestri, quibus a vobis erat injunctum. Et ego cum omni alacritate eorum persuasionibus acquievi, adeo ut de discessu meo discretionem vestram non oporteat in aliquo dubitare, si tamen secundum spem præstitam optatum desiderio meo liberalitas vestra largiatur effectum. Facite itaque, sicut decet magnificentiam et veritatem vestram, et invincibilis instantia meæ necessitatis exposcit ut in totum ab Episcopali separatus officio, importunam instantis concilii vocationem liberatus evadam.

102. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Ad concilium cum aliis vocatus, cum aliis venire non potui, quia impotentem laboris illius causæ plurimæ reddiderunt. Prima est senectus qua septuagesimum annum transgressus sum: secunda Hiero-

solymitana expeditio quam mihi Pontifex Romanus indixit. Tertia ruinæ miserabiles, quibus semel et iterum de solii sublimitate lapsus sum et confractus: adeo ut a decem annis aliquibus remediis non potuerit virtus pristina restaurari. Quumque miserabiliter causa posset una sufficere, tres simul pari importunitate concurrunt, ut me quasi triplici funiculo videatur impotentia religasse. Ego quidem desiderio desiderabam venire, ut gloriam victoriæ vestræ cum aliis celebrarem et ariditatem meam quasi de proximo benedictionis vestræ rigaret ubertas. Orabam tot et tantorum patrum venerabilem videre conventum, ipsorum erudiri sermonibus, exemplis instrui, et ad reparandam libertatem ecclesiæ Dei cooperari, si possem, quam in multis partibus doleo deperisse. Impotentiam itaque meam Dominus et pater meus habeat excusatam et a mandato me, quod implere non possum, clementi bonitate relaxet, quia etsi præsentia corporali non venio, omni desiderio tamen et reverentia devotus adsisto. Venissem autem libentissime, quia multas causas ad veniendum mihi necessitas offerebat, quas præterisse fortasse damnosum est, et tot aut tantis occupationibus vestris ingerere tædiosum, quia postmodum, Deo volente, per gratiam vestram spatiosius poterit et commodius expediri.

103. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Quamdiu ecclesia, cui Deo permittente deservio, me tenuerit alligatum, oportet me aliquando eorum, qui mihi commissi sunt opportunitatibus intendere et debita quantum potero diligentia subvenire. Rogo itaque ut causas si quæ de episcopatu nostro ad vos pervenerint, personis injungatis quæ zelum Dei ha-

beant, et peritiam judicandi. Infestat siquidem his diebus ecclesiam Dei nova malignitas, quæ de rapacitate monachorum et de clericorum procedit audacia, qui dolose aut violenter quod affectaverint occupantes, post appellationem se expoliatos asserunt ut trium subornatorum testium juramentis quocunque pacto valeant obtinere. Siquidem is ad quem appellatum est, eum quandoque qui appellat quodam favore complectitur et ut suam ulciscatur injuriam causam quandoque vulnerat innocentis. Super quo benignitatem vestram habere volumus exoratam, ut in delegandis judicibus discretio vestra provideat, ne his, qui nobis inimicantur et invident, vestra vel vestrorum judicia committatis: quorum nomina lator præsentium vobis plenius indicabit: qui quum publice nobis nihil aliud quam reverentiam offerant ad injuriam tamen nostram sunt obducto quolibet vel tenui velamine proniores. Ceteris autem in toto orbe terrarum committite sicut placuerit vobis, absque discretione ordinis et ætatis.

104. *Ad Dominum Petrum Cardinalem.*

Verbum, super quo Domino Regi Angliæ vestra pro me gratia supplicavit, prorsus inane factum est, quoniam infelices aliquos adversum me expectare præelegit eventus, quam mero beneficio quolibet adjuvare. Et quia beneficium non merui accipere quod speravi, de meo necesse est me facere quod oportet. Ideoque proposui, cura episcopali viris interim commissa fidelibus, extra provinciam, ubi nulla quies, nulla lætitia est, aliquo me conferre, ubi quies et animo prodesse possit et corpori et ad solutionem parsimonia subvenire. Per quod in brevi ab importuna liberatus instantia creditorum ad unicum statim

Romani pontificis revertar auxilium, ut me et a vexationibus præsentis cruciatus absolvat, et ad gerendum morem devotioni meæ cum absolutione necessaria et benedictione dimittat. Veni igitur in Franciam ad concilium venire disponens, si ulla unquam ratione potuissem, quod quia certius expertus sum mihi impossibile esse, cum literis excusationis meæ nuncium mitto, quem rogo ut vestra gratia commendatum habeat, et in his quæ vobis ex parte mea dixerit, per vestram gratiam liberaliter adjuvetur. Sciatis autem me plurimum de vestræ familiaritatis et amicitiæ gratia gloriari, quam etsi condigna operum exhibitione non merui, sincera tamen credideris devotione suppleri.

105. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Desideravi, Domine mi, jam dudum a vobis episcopalis officii petere missionem, quia deficiente ex multis causis animo et corpore, nec diligentiæ huic sufficio nec labori. Ideoque prælationem meam ex hoc nunc constat ecclesiæ non tamen esse inutilem sed damnosam, nilque restat nisi instantem mihi provide disponere sepulturam, ne forte negligentem mortis hora præveniat, et prævento sera pœnitentia non succurrat. Quia vero multis impeditus libere demigrare non poteram, consilio et admonitione Domini Petri Cardinalis Legati vestri promisit mihi Dominus rex Angliæ copiam regalis auxilii quo ære alieno, quod me maxime detinet, liberari possem et ad sustentationem meam quocunque me verterem de bonis episcopalibus, quæ studio etiam meo copiose noviter acquisita sunt, perpetuo beneficio communiri. Nunc vero revocavit animum manumque, quæ liberaliter credebatur extensa, continuit et ut parcius dicam,

permittit me a ministris et exactoribus suis miserabiliter infestari, adeo ut provinciam totam exire compellat, quia nulla patientia poteram ea, quæ indignissime patitur ecclesia, contueri, præter alia quæ noviter ad cumulum miseriæ et servitutis adjecit, quod in civitate, quæ semper hactenus inter alias speciali libertate gavisa est, solique in omnibus respondebat episcopo, præfectum sibi sua auctoritate constituit, qui quotidie coram oculis meis reditus sibi meos violenter usurpat, et cives indignissimis injuriis afficit, et me potestatem habere quam semper habui, non permittit. Minor hospite sum, qui semper dominus fueram civitatis, et in aliis quidem civitatibus existo liberior quam in mea, in qua sibi jus omne semper tam sæculare quam ecclesiasticum beatus Petrus, in cujus honore fundata est ecclesia, vindicavit. Meminerit autem sapientia vestra me libere ad episcopatum hunc absque omni violentia et designatione potentiæ sæcularis electum. Ideoque exclusum divitiis, donec in manu forti et brachio excelso gloriosæ recordationis Innocentius Papa sua speciali auctoritate, cum omni possessionum integritate et debita libertate, in sede me constituit et firmavit. Profecto plurimum videbitur vestræ gloriæ derogari, si tam illustre opus antecessoris vestri coram oculis vestris ducatur in irritum, et ecclesia, quæ inter alias multo privilegio consueverat exultare, primo ad servitutem, dehinc ad inopiam mutilata descendat. Rogo utique et genibus misericordiæ vestræ cum humilitate et desiderio provolutus exposco, ut absolutionem mihi ab onere importabili vestra majestas indulgeat et a vexationibus, quibus miserabiliter crucior, liberet et educat. Diem autem exitus et dimissionis oportet interim meæ dimittere voluntati, ne mihi malignitas insidiosa possit illudere, et simplicitati

meæ gaudeat quia illusam viderit, insultare. Si enim modo quolibet episcopatum vacare contigerit, profecto ad omnia bona ecclesiæ confiscanda, secundum veterem abusum, manus avidas potentia sæcularis immittet, neque creditoribus satisfiet in aliquo, qui ad impendendum constructioni et aliis ecclesiæ necessitatibus a multo tempore sine omni fœnore præstiterunt, et ego apud Deum violatæ fidei reus inveniar, et apud homines existimatione et infamia publica merito condemnatus. Proposui itaque, cura ecclesiæ viris commissa prudentibus, extra provinciam, in qua nulla lætitia, nulla mihi quies est, aliquo me conferre, ubi quies et animo prodesse possit et corpori, et ad solutionem parsimonia subvenire. Quumque ab importuna creditorum fuero liberatus instantia, quo statim mihi demigrare liceat, oportet me interim esse literis vestræ sanctitatis instructum, ne ad redeundum ad vos oporteat me plurimum temporis et laboris impendere, quia dies multos provectior mihi ætas et valitudo contraria non permittit.

106. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Dudum me divina dignatio ad episcopale provexit officium, et supra merita mea, immo contra, gratia sublimavit. Et ego primo quidem facilius acquievi, quia nec laborem operis illius nec periculum expertus fueram, sed sanctitatem ordinis et potentiam dignitatis attendens, ex altero mihi sanctimoniam sperabam provenire, ex altero magnificentiam comparari. Optabam sane eas in unum concurrere, et ad eundem cooperari consummatæ virtutis effectum, ut scilicet nec sanctitas magnificentiam tolleret, nec magnificentia sanctitatem, sed utraque de alterius invicem contrahet gloria dignitatem. Porro expertus dolui

in contrarium mihi cessisse quod credidi, dum carnis infirmitas studia rationis impugnat, et conceptæ resistit multiplex occupatio voluntati. Dum igitur quæro remedium et ad consequendam salutem devotus anhelo, intellexi nihil ad hoc efficacius fore, nihil certius quam secundum doctrinam Christi exemplum humilitatis ejus et patientiæ pariter et paupertatis amplecti; reprobatis scilicet omnibus qui viam veritatis poterant impedire, ad eundem mihi esse aliquod religiosorum fratrum esse collegium, domumque religiosæ institutionis intrandam, ut exclusis quæ vanitatem sæculi videbantur offerre, sola intrinsecus vagos effectus regularis continentia coerceret, et allisis ad petram parvulis sinceritatis semper studia convalescant. Porro episcopali mancipatus officio, ad quod me Dominus et pater meus gloriosæ recordationis Innocentius Papa speciali caritate provexit, non potui vel debui mea auctoritate discedere, nisi prius essem a Romano Pontifice, cujus me dextra colligaverat, absolutus. Supplicavi itaque primum sanctæ memoriæ Eugenio Papæ. Supplicavi nihilominus Adriano sub conscientia siquidem vestra, quum cancellarius essetis, sed favorem vestrum in ea parte minus promptum auxiliique minus efficacis inveni. Negatum mihi est ab utroque quia adhuc robustæ ætatis et validi corporis estimabar, necdum defectum quemlibet de corporis defectu scientia vel memoria contrahebat. Obedire itaque de necessitate compulsus sum, et pusillanimitatem meam iteratis exercere laboribus, dum me zelus libertatis ecclesiasticæ comedit, quam exinde quotidie majoribus semper affici conspicio detrimentis. Non potui silere, sed non nisi modicum solitaria submurmuratione profeci, quia nemo mecum et omnium adversum me suffragia reclamabant. Tota igitur in me et ecclesiam meam versa est indignatio

præsidentis, cujus mihi motum nec patientia mitigare potuit nec supplicatio delinire. Duravi tamen, quamdiu vel modicum in aliquo solamen accepi, et reparanda quocunque casu libertas ecclesiastica videbatur. Super quo quicquid a divina sit bonitate provisum, ego mihi et ecclesiæ Dei animo et corpore fere totus inutilis factus sum, quia paulominus animo defeci quam corpore, quoniam animi vires et corporis senectus obtundit, et cogitatibus fidem memoria non conservat. Angustiæ itaque mihi sunt undique, quia corporali impotentiæ vis quotidianæ persecutionis incumbit, et inter varios conceptus ratio torporem desidiæ patitur et stuporem. Trahebat me quandoque devotio, sed me nunc inexpugnabilis violentia necessitatis impellit, sicut quorumlibet cœptorum operum imperfectio, et tam linguæ tarditas, quam sermonum confusio protestatur.

107. *Ad Ricardum Wintoniensem Episcopum.*

Diu est quod ad Dominum regem nec literas misimus nec nuntium, licet me importunitates plurimæ perurgerent. Timebam indignationem ejus nomine meo exasperari potius quam placari, et quod ipsum ad nocendum potius quam ad subveniendum supplicatio provocaret. Nunc autem nequeo differre diutius, quoniam ministri ejus manifeste prædicant mandatum sibi ab eo ut me et ecclesiam meam omnibus modis infestent, si gratiam ipsius vel retinere volunt, vel desiderant obtinere. Nituntur igitur acrius et invicem certant se in omni maleficio prævenire. Willelmus filius Radulfi princeps omnium et magister, Walteri scilicet de Constantiis precibus inductus, per quem se putat regis gratiam firmius

obtinere, affirmans ei plurima, quæ ego nunquam credo de regis conscientia processisse. Ad episcopatum siquidem meum adeo jam impudenter anhelat, ut jam nulla fere sit dissimulatio promissorum, sed relicto ad hoc Huberto, quem utinam noveritis, plures canonicorum conciliavit sibi et etiam juramentis astrinxit, ut me decedente, de ipso eligendo regiæ consentiant voluntati. Ideoque Willelmus filius Radulfi incessanter instigat, ut frequentibus me vexet injuriis, quibus tædio affectum cedere me compellat. In quo ad tantam vehementiam vir ille processit, ut me de civitate mea ejiceret et omnibus reditibus spoliaret, prohibito etiam mihi egressu de terra ut scilicet nihil mihi in terra relinqueret, nec esurientem etiam aliunde quærere sustineret. Super quo etiam generali præcepit edicto, ne a clericis meis mihi aliquid conferretur, et si quis quicquam obtulisse repertus est, bona ejus omnia confiscata sunt et oblata. Durum mihi est quod adeo me per Walterum regia potestas infestat, sed durius est quod ecclesiam a cœptis juramentis divisit in partes et partem plurimam a mea obedientia separavit. Quod si forte in aliquem voluero aliquid episcopalis exercere justitiæ, Willelmus Radulfi filius non permittit, sed omnem ecclesiasticam potestatem violenter usurpat, ecclesias, oblationes, altaria, decimas, et præbendas, et quaslibet eleemosynas, remota prorsus auctoritate mea, suæ vendicat potestati. Ad hæc tanta jam Walteri impudentia est et cæca ambitio ut me etiam per Baiocensem episcopum et per cancellarium et Willelmum filium Radulfi et Archiepiscopum commoneri fecerit, et ipse mecum inde tractaverit, ut pecuniam ab eo reciperem quam rex mihi promiserat ad solvendum, si tamen canonicos de electione ejus facerem conjurare. Respondi ego manifeste simoniacum esse,

neque me aliquid suscepturum ab eo, sed a rege sub eadem quidem forma quæ mihi et ipsi a Domino P. legato fuerat instituta. Dulce mihi et jocundum est conscientiæ vestræ communicare quæ patior, et quoddam mihi remedium est, quod vos compati mihi et condolere non dubito. Mitto literas regi omni humilitate plenissimas, quarum rescriptum vobis nimirum censui transmittendum, ut si occasio vobis forte refulserit, sciatis qualiter et loquendum vobis sit et agendum. Solus enim estis de cujus fide et caritate confido. Nullam siquidem habeo de rege fiduciam, sed de terra abire non debeo, nisi eum prius requisiero et de severitate ipsius potius quam de superbia mea demigratio mea procedere videatur. Quicquid tamen futurum sit, vestrum mihi familiaribus literis mandate consilium, quia ego hic nulla persuasione consistam, nisi ipse suam ecclesiæ meæ restituerit libertatem.

108. *Ad Henricum Regem Angliæ.*

Quot et quanta beneficia, quantam honorificentiam, quantam familiaritatem et gratiam olim per multum tempus mihi regalis excellentia largita sit, ab animi mei memoria nulla potest occasione convelli, sed pristinus amor quo semper dilexi vos, et debita vobis dilectio perseverat. Turbatus sum sæpius, et multis injuriis et detrimentis affectus; sed nihil unquam eorum fuit, quod vel zelum minuere possit vel fidei veritatem. Nunc autem gloria mea est testimonium conscientiæ meæ quod quam diu me ad consilia et negotia sua bonitas regalis admisit, semper in omnibus intemerata fidei meæ refulsit integritas, et sedulitatem meam rerum efficientia commendavit. Exultabam igitur quod ad votum Domini mei gratia re-

spondebat, meque felicem et omni donatum beatitudine reputabam, si quid studio meo videretur accidere, quod utilitati ejus accederet vel honori. Quum autem valde sint amara quæ patior, nihil mihi constat amarius quam quod voluntatem Domini mei adversum me graviter experior immutatam, quoniam ipsius mihi perseverante gratia, quaslibet injurias et detrimenta fortunæ minima reputarem. Gauderem siquidem et in contemplatione ejus et gratiæ memoria respirarem, omnemque mihi amaritudinem hæc mihi super excedendi dulcedine gaudia recompensarent. Sperabam quod usque ad exitum meum hæc ipsius mihi gratia permaneret, ut tandem perpetuo somno in dulcedine ista viderer tanquam in ipsius brachiis obdormiisse. Res autem nunc in contrarium non merito certe meo, sed invida delatorum suggestione, conversa est, et pro antiqua Domini mei dilectione odium, pro liberali beneficientia gravamen experior, nullumque mihi vel in necessitate consilium, vel in oppressione levamen occurrit. Profecto defecissem, nisi me perennis innocentiæ meæ conscientia confoveret, et quod apud liberalitatem animi vestri aliqua adhuc credo multorum meorum residere memoriam quia quod tanto ipsi constat exhibitum et a vobis tanta animi liberalitate susceptum est, levi fallaciarum vento deleri non potuit, quia de toto tempore quo vobis adstiti, nulla prorsus desidiæ meæ vel fraudis argumenta procedunt. Credo itaque quod intra secretum pectoris vestri quidam adhuc vivat igniculus, qui adversus fraudes adulantium suo tempore convalebit, et antiquus ille fidelis vester Lexoviensis episcopus, ad omnem opportunitatem vestram semper promptus et efficax, inter cæteros cum gaudio poterit apparere. Interim quia malorum quæ mihi et ecclesiæ, cui deservio, frequentius irro-

gantur, nullus modus est, nec tolerabili possunt patientia sustineri, ad pedes misericordiæ vestræ confugio, si etiam merita mea videntur obsistere, saltem ecclesiæ miseramini, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus, priusquam ad irrevocabilem perniciem libertas ejus et possessiones ejus atque jura descendant. Ad summam senectutem meam vobis offero, cujus meliores annos vestra diutius obsequia consumpserunt, et eam ex hoc nunc indignissimum est a vestræ majestatis excellentia conculcari. Contra folium siquidem, quod vento rapitur, ostenditis potentiam vestram, et stipulam siccam conteritis, nisi dextram opprimentem vobis alleviare placuerit, et libertatem ejus misericorditer allevare. Nihil autem mihi molestius est quam etsi non meruerim, ecclesiam tamen occasione mea intueor aggravari. Unde nullum desiderium nulla mihi voluntas est prælationem hanc diutius obtinere. In hac præsertim debilitate mea et incommodo indignationis vestræ, sub qua nec episcopus aliquis proficere possit nec ecclesia prosperari. Sed si vestræ placuerit majestati eam ad pristinam reducere libertatem, suaque ipsi jura in perpetuum firmare, paratus sum cedere, dum mihi intuitu pietatis modica ad sustentationem portio reservetur. Si vero ad hoc vestra non poterit sublimitas inclinari, sustinebo usque ad exitum vitæ meæ, quicquid divina mihi dictaverit prudentia sustinendum. Nec enim sine periculo salutis meæ possem dimittere destitutam, sed secundum vires meas cum gratia Dei virilius expectabo in omni siquidem humilitate et patientia, donec vestra ad cor sapientia revertatur. Sane nulla a me, etiam si possem, contra reverentiam vestram rixa prorumpet, sed excedentem potentiam vestram humilitas expugnabit, quia sicut viribus repelli non potest, ita per se ipsam benigni-

tate propria conquiescet. Verum nihil expostulo, quod omnium Christianorum regna non habeant, et quod antecessores mei tempore vestrorum et ego vestro et patris vestri triginta annis et eo amplius inconcusse possedi. Valeat Dominus meus, regnumque ipsius præsens perpetui regni successione confirmet. Querimonias sigillatim censui meas vobis et breviter adnotandas, ne tædium forte prolixior oratio generaret.

109. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Est quiddam quod inter omnia me lædit indignius, Archiepiscopi scilicet mei in omni necessitate defectus, quem fere sepultum constat animo magis senuisse quam corpore, regiisque exactoribus mancipatus omnino semper quod a me in episcopatu meo episcopaliter constitutum est prorsus evacuat, nullamque mihi permittit reverentiam exhiberi, quia in omni malitia se reputant juste qualibet Archiepiscopi sententia liberari. Absolvit igitur tam clericos quam laicos, qui ecclesiastico sunt a nobis anathemate condemnati, suisque reddit altaribus, quibus canonice fuerant in perpetuum spoliati, ipsosque parochialem populi curam gerere et in ipsa excommunicatione sacramenta conficere præcipit, quum facti mei nullam prorsus cognoverit aut quæsierit rationem. Quod sane eum facere certum est, ut sibi regis gratiam mea infestatione conquirat, quia ipsius in omni sua perversitate minister est, nec ecclesiasticam attendit in aliquo dignitatem. Super quibus omnibus quum vestræ innotuerit majestati, necesse erit a vestra gratia mihi provideri ne ipsius et suorum exponar injuriis, quoniam ab antiquo me sola prosequuntur invidia, et nunc audacius confidentia regiæ potestatis

occurrunt. Negotium hoc et alia quædam nunciis meis ad misericordiam vestram perferenda commisi, quos a vobis precor audiri clementius, et indilate remitti quia quasi præsentem ante oculos meos semper habeo sepulturam meam, quam instante jam conversione proposita prævenissem, nisi me hæc et alia, quæ vobis intimabuntur, obstacula reperissent.

110. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Gratias vestræ refero majestati, quia ab episcopali me misericorditer onere sublevastis, sub ea quidem conditione, quam petii: sed ego tamen adhuc demigrare non possum, ut lupo veniente videar aufugisse et ecclesiam quasi in suprema tribulatione relinquere constitutam. Siquidem ab antiquo sicut audistis, adversus eam vehemens principis nostri motus exarsit, nec adhuc vel afflictio cessat, vel indignatio conquiescit. Augetur enim de diebus in dies et majora timendæ severitatis commenta procedunt: adeo ut ministris suis, sicut episcopi manifeste protestantur, induxerit quod me modis omnibus inquietent et me et meos miserabilibus detrimentis affligant. Quod jam eo usque processit, ut major procurator ipsius, Willelmus scilicet filius Radulfi, nuper me omnibus reditibus meis, ipsa etiam civitate et episcopali sede, privaverit, ea scilicet tantum occasione, quod militem quondam pauperem quem ipse pro ecclesiastica causa vocabat in curiam, meque pro eo fidejussisse mentiebatur, exhibere non potui. Quem etiam, quia nepos meus erat, minabatur arctare compedibus et ergastulo claudere, si in manu ejus sorte qualibet incidisset, imponens ei absque omni veritate quod diaconum quendam, qui de mensa mea et ipso episcopio ab executoribus ejus trahebatur ad carcerem, de mani-

bus trahentium eduxisset. Quo facto quum nihil mihi reliquisset in terra, de terra tamen exire prohibuit, ut nihil intus mihi relinqueret nec intrinsecus quærere toleraret. Interdixit etiam, idque per fora et nundinas regali publice proclamavit edicto, ut nihil mihi a sacerdotibus meis vel clericis conferretur, et si quis edicti reus inventus est, bona ejus immobilia subhastari fecit et mobilia confiscari. Porro malum hoc accendit et multiplicat mihi Walteri de Constantiis instantia, cui Dominus rex Angliæ episcopatum manifeste concessit si vel morte vel tædio cedere me contingat. Profecto quia Walterus apud Regem magnus est, paulo minus ipsius me lædit adversatio quam regis, quia rege majoribus occupato, Walterus de Constantiis, cujus negotium geritur, incessanter insistit, nec defectum senectutis meæ sustinet expectare, quam potius accelerat illato constanter tædio prævenire. Ad hoc autem de proximo fidelius exsequendum et vices ejus gerendas, Hubertum quendam Canonicum siquidem meum in ipsa ecclesia et civitate constituit, qui quotidie quoscunque canonicorum potest ei conciliat, et aliquos sacrilega factione juramentis astrinxit, ut me decedente vel cedente de ipso eligendo regiæ consentiant voluntati. Instanter igitur ille sicut cœpit, omnes observat vigilias et eventus, pluresque jam prædicto Willelmo cooperante, promissis, minis, et precibus inclinavit, adeo ut difficilius mihi obediant, sed elati in superbiam jam manifeste videntur de novi episcopi gratia gloriari. Certum igitur est eos quosdam invicem fœdere convenisse, ut Willelmus absentis Walteri negotium procuret in Normannia, et ille Willelmo gratiam regis in Anglia versa vice conservet. Quia vero Walterus me pronum ad cedendum episcopatu sentit, æs alienum mihi quo me maxime detineri credebat,

obtulit ad solvendum si de electione ejus studio meo canonici convenirent. Sane Dominus rex, interventu Domini Petri legati vestri, promiserat super eo mihi regali munificentia subvenire, sed cum manu contracta, quod promiserat non impleret, Walterus ad solvendum præparatus occurrit, et ego respondi ei manifeste simoniacum esse; neque me quicquam ab eo in causam hujusmodi suscepturum. Provideat igitur mihi more suo vestra benignitas, qui a multis partibus incessanter infestor: nam ab episcopatu remotum plerique reputant pro regis promissione: quam Waltero factam nullus est qui ignoret. Super quo et aliis incommodis meis nuntios de necessitate ad majestatem vestram censui destinandos, ut auditis per eos omnibus misericordia mihi vestra subveniat, quoniam omnia scribere brevitas epistolæ non permittit.

111. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Ecclesiam, cui Deo permittente deservio, prædecessor vester gloriosæ memoriæ Innocentius Papa regendam mihi sine omni laica designatione commisit, totumque sæcularis potentiæ dimovit obstaculum et in virtute Dei de pace mea splendide triumphavit: omne etiam opus meum indefesso favore sedulo prosecutus, necessario semper dilexit auxilio et patrocinio communivit. Quumque ego statim inter initia mea ecclesiam consueta disponerem emundare lacuna, et veteres canonicorum concubinatus auferre, manum necessariæ severitatis adhibuit; adeo ut una die de fiducia virtutis ejus octodecim concubinatus a canonicis publice fecerim abjurari. Purgata igitur ecclesia et congrua satisfactione his qui deliquerant emundatis, splendorem ecclesiæ meæ tota provincia

prædicabat: adeoque celebris disciplina profecit, ut multi circumquaque ad debitam continentiam nostro traherentur exemplo. Exultabam quod mea ceteris continentiæ formam ecclesia præbuisset, et eas quasi ad vomitum redire sancta confusio prohiberet. Illis igitur extantibus, quos quasi de Satanæ faucibus Apostolica majestas eripuit, nulla collegium nostrum maculabat infamia vel incestus: sed sese studiis honestatis invicem prævenire certabant. Ceterum cum procedente tempore novos institui communis fatalitas exegisset, neque novi juramento veterum tenerentur adstricti, labente semper in deteriora sæculo, cœpit furtivis excessibus aliquorum adolescentia lascivire, quosdam de provectioribus ad similem secum pertrahere voluptatem, de quibus vix permittebat sinistrum aliquid publica verecundia suspicari. Crescente itaque numero, crevit audacia, et securos se esse vel modico velamine confidebant: nec aliquid facile poterat fieri manifestum, nec ego poteram de sola suspicione ferre sententiam et eos numerus prævaricata multitudine defendebat. Non potuit tamen esse, quod a multis peccabatur, absconditum, quia fidem certissimam novorum crepundia partuum faciebant, et tota recentes cunas vicinia celebrabat. Novi itaque et primum preces commonitorias adhibui minas etiam et aliquid ultionis, sed malum facile convelli non potuit: quod multo jam tempore fuerat radicatum. Quum igitur ego severius aliquid facere decrevissem, ipsi nocentis conscientiæ et notorii criminis timore conterriti, conspirare præsumpserunt et etiam conjurare, consilio maxime Thesaurarii ecclesiæ nepotis mei surdi, scilicet illius, quem nostis, qui cum multis a me beneficiis a pueritia sit præventus, implacabili tamen odio me certis ex causis non desinit infestare et duplex perjurium

incurrere non formidat. Ex mandato siquidem vestro coram Domino Willelmo Cardinali et Cenomannensi et Abrincensi episcopis corporaliter juravit quod eas tunc, quas proponebat adversum me, ulterius calumnias non moveret, et postmodum contracta de regis indignatione fiducia dejeravit. Super quo quum ego per Archipresbyterum Astansem et archidiaconos nostros ad vos Bituricas querimoniam detulissem, celebrata cognitione excommunicatum a me eodem innodatum vinculo remisistis, precibus etiam benignitatis vestræ adjectis, ut ei parcerem, et accepta iterum securitate quam vellem, ea quæ habuerat ei beneficia conservarem. Feci itaque quod mandastis, et ipsum perceptis iterum infaustis juramentis absolvi: quia vos ei misericordiam hanc meo etiam intuitu contulistis. Juravit iterum atque aliquandiu de necessitate quievit, sed noviter comperto quod in me vehementius regis ira recruduit, dejeravit tertio seque ipsius obsequiis omni studio mancipavit. Spe siquidem accepta, quod iniquitati ejus per regis violentiam non deesset effectus: accitis etiam sibi quos notoria vitæ notabilis cogebat infamia desperare. Ipsis ergo in numero transgressionis undenario congregatis, alii triginta sed meliori numero restiterunt, ad omne opus canonicum prudenti consilio præparati. Illi vero, priusquam a me aliquid dictum fuisset aut factum, pari vesania conclamantes, opponere certabant appellationis obstaculum, solo tamen ejus nomine confidentes, atque eo solo omnem mihi in omnibus obedientiam subtrahebant, fas et nefas impudenti audacia permiscentes. Quumque ego, super quibus capitulis vel articulis appellarent, instantissime quærerem, quo fidelius appellationi si esset reverentia servaretur, extorquere non potui, neque mihi vel dicere vel scribere voluerunt: timere se

ideoque adversus omnia quæ dici possunt vel fieri provocare. Nec quidem omnes, sed confuse singuli singula proponebant, diversi penitus et per omnia dissidentes. Sustinui ego patienter, nulla in aliquos lata sententia præter duos, adversus quos literarum vestrarum auctoritate processimus, ideoque factum vestrum vestra petimus excellentia confirmari. De reliquis autem cum adulteriis, incestibus et aliis criminibus publico omnium sint testimonio condemnati, detulimus appellationem, licet nulla fuerit pro sola nominis vestri reverentia, timidius observantes, quorum delicta, ut parcius loquar, quum a nunciis vestris sanctitati vestræ fuerint plenius indicata, judices delegate, qui zelum honestatis habeant et peritiam judicandi et necessariam habeant de vestra virtute fiduciam, et locum opportunum, in quo causæ dirimi possint et sententiæ promulgari, quoniam vix credimus eos nisi fuga et sæculari potentia defendendas. Ceterum quos ego deferre præsumo, securum vobis est canonice judicare, sed de Normannia nullus nobis judex bonus est, nec securitas in Normannia litigandi, quia quod illi adversus nos fecerunt pro condemnationis effugio, se pro regis gratia fecisse clamabunt. Super quo si aliquod adversum nos, immo adversum vos schisma forte commoverunt, vestrum erit, sicut sapientia vestra novit, ecclesiæ Dei injuriam vindicare.

112. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Pervenit ad notitiam vestram Hamonem presbyterum habere publice concubinam, ipsumque eam in eadem domo et mensa et lecto triginta annis et eo amplius tenuisse, plurimamque ex ea sobolem procreasse: quod sane factum adeo manifestum et notorium semper extitit, ut nullo unquam velamine ser-

varet absconditum, sed solennibus filiarum gaudebat matrimoniis ad majorem evidentiam illustrare. Super quo quum majestatis vestræ literas accepissem, ut ipsum satisfacere monerem pariter et cessare, ipsum in capitulo coram omnibus fratribus sæpius adhibito, etiam sancti oraculi vestri terrore commonui, nec aliquatenus exauditus sum, quia ipsam nec una die vel nocte voluit a lateris sui consortio dimovere. Misi sæpius ad explorandum, si aliquando Deo vel vobis reverentiam exhiberet, sed mater et filiæ duobus, quos aliquando misi, sacerdotibus spoliatis, manus nefandas atrociter intulerunt: sed Deo miserante, tandem per eos, qui supervenerant, liberati, gavisi sunt de manibus earum quasi de luparum dentibus evasisse. Sacerdos autem facinus inveteratum præsumit quasi quadam præscriptione defendere, nec ipsam a se vel ad momentum separare voluit. Nos igitur, adhibitis venerabilibus viris, Abbatibus scilicet quatuor, Archidiaconis tribus, præcentore et capiterio ecclesiæ nostræ, et pluribus canonicis et monachis religiosis, recitatis in commune literis vestris, observato in omnibus ordine judicario, sicut injungebatur, curavimus effectui mancipare, et testimonia judicum cum testium subscriptionibus ad vos nimirum duximus transmittenda, ne falsa scilicet suggestione cujusquam in aliquo denigrari possit, quod auctoritate vestra tantaque constat ratione subnixum. Bonum est enim pœnam unius ad multorum proficere disciplinam, ne reatu tam manifesto de honestate ecclesiastica sub conscientia vestra dicantur concubinarii triumphasse. Judicat ergo zelus vester silentium condemnato, ecclesiasque ipsius, quas in episcopatu Sagiensi transferri fecit in filium sacerdotii sui, per alium episcopum quam per eum a quo male collatæ sunt, faciatis personis

idoneis assignari. Plures siquidem sunt, poteritque pluribus honestis personis proficere, quod male in unius constat cupiditate congestum.

113. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Est quiddam quod diu licet absconditum, necesse habeo ex hoc nunc vestræ misericordiæ revelare: ut super eo passim apud benignitatem vestram remedium aliquod invenire. Filios enutrivi et exaltavi: ipsi autem non tantum spreverunt, sed etiam oderunt me. Nepotes mei sunt, quos ego fere a cunabulis indulgentius educavi, erudivi studio magno, divitiis ampliavi et illustratos honoribus feci inter alios quasi speciali quadam gloria resplendere. Ipsi vero nullam meritis meis gratiam referunt, nec utilitati vel honori meo curant in aliquo providere, hoc solo scilicet moti, quod quæcunque vacabant in ecclesia, non conferebam nepotulis eorum, sed accitis ab omni parte viris literatis et honestis, ecclesiam meam tot personis venerabilibus illustravi, ut nulla sit in provincia tota quæ possit earum meritis adæquari. Inter quos si quos forte contingat reprehensibiles inveniri, aliorum virtutibus et prudentia redimuntur, nec aliorum improbatione meretur ecclesia blasphemari. Dicunt autem hoc a me ad contemptum sanguinis mei et depressionem eorum fieri, quum ipsi per me de natura debuissent affectuosius promoveri. Inter quos, ut de cæteris sileam, unus est perniciosiis mihi, cui ego primum duas præbendas centum librarum in Lexoviensi et Baiocensi ecclesiis contuli, archidiaconatum unum ducentarum librarum, ecclesias parochiales tres quinquaginta librarum, decanatum quinquaginta vel sexaginta librarum in ecclesia Lexoviensi, quia nihil mihi satis poterat

esse quod facerem, nisi eum facerem assidere mihi similem vel majorem. Nactus ergo quod voluit, cœpit statim mecum de potestate contendere, et omnia reputare inania, quæ dixissem et contentiose omnia ad suam convolvere voluntatem. Sustinui diutius, ipsumque magis armabat cognationis audacia, et fere æqualitas potestatis. Adsistebant ei alii, neque mihi aliqua fere concertatio fuit, nisi cum sanguine meo, donec novissime aliqui aliorum lasciviæ suæ timore perterriti, in partem ipsius causa quærendi subsidii concesserunt: sed ego novissime cœpi in alios auctoritate literarum vestrarum et præsidio convalere. Sane unum est ad quod vos indilatæ severitatis vestræ manum convenit adhibere: quoniam in hoc et enorme delictum et multarum pernicies vertitur animarum. Est in decanatu parochialis ecclesia, cujus reditus decano et presbytero constat esse communes, cujus sacerdos super tribus criminibus maximis, concubinatu scilicet, et incestu cum focaria fratris, et perjurio in generali synodo, quia purgari non potuit, publice condemnatus est et omni nimirum beneficio ecclesiastico spoliatus. Quumque postea ecclesiam per violentiam detinere præsumeret, divina etiam celebrare præsente et conveniente decano, iterum sententia anathematis innodatus est: quem postmodum in eadem ecclesia decanus instituit, et in parochiali altari me semper prohibente, facit in maledictionem populo deservire, et de manu ejus reditus, quos ille de maledictione percepit, recipere non formidat. Suspensum igitur a me facit nihilominus spiritualia ministrare: quoniam ipsi defensionem in omni necessitate promittit. Schisma est et qualibet hæresi major iniquitas, ubi et sacramenta profanari constat, et populum quingentarum animarum periculo perpetuæ maledictionis involvi. Ad hoc impro-

bastis aliquando, quod ego decanatum et majorem Archidiaconatum uni decano profusa liberalitate contuleram, quum id ecclesiasticæ institutioni constet esse contrarium, atque Baiocensi et Ebroicensi episcopis injunxistis in diversas personas dividere dignitates, ut nec etiam obsisteret rescriptum vestrum, quod super hoc aliquando constat vobis esse subreptum. Verum decessit alter judicum, neque duplex mandatum unius potuit delegatione compleri. Necesse est igitur, ut sanctitas vestra adimpleat quod incepit, aliisque judicibus rei efficientiam delegare, per quos ecclesiæ dignitatum suarum restituatur æqualitas, nec altera alteram tali forte confusione consumat et hominis ingrati et degeneris ambitio compescatur.

114. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Delegavit venerabilibus fratribus meis Baiocensi et Abrincensi Episcopis, et Thesaurario Lexoviensi, sublimitas vestra controversiam, quæ inter me et Nicolaum de Cust. clericum vertebatur, super præbenda quadam quam idem Nicolaus in manu nostra resignaverat Gileberto Archidiacono tribuendam, ea nimirum conditione ut prima quam vacare contingeret, Nicolao recompensationis nomine solveretur, retenta tamen interim canonica dignitate, ut et stallum in choro, et locum in capitulo et serviendi in majori altari dignitatem, cum cæteris tanquam canonicus obtineret. Porro, vacante postmodum præbenda, eam alii, Johanni scilicet de Alenc., contuli sine Nicolai conscientia et consensu, estimans eum, quoniam familiaris meus et domesticus erat; æquanimiter ferre quod facerem et sine offensa de gratia mea beneficium aliud expectare. Quum autem hoc recognitum Nicolao minime placuisset, ad aures

misericordiæ vestræ adversus me querimoniam detulit, et vos eandem præbendam ei restitui apostolica auctoritate mandastis, quod etiam sine omni appellatione et contradictione mancipari effectui præcepistis, et ut eam facerem contra omnem violentiam a prædicto Nicolao pacifice possideri. Quas literas quum Nicolaus aliquandiu propter varia obstacula distulisset offerre, ad prædictos judices mandatum a vobis aliud emanavit, ut si omnia, quæ de restitutione Nicolai a vobis mandata fuerant, non implessem, ipsi prædicto Nicolao præbendam de Capella quæ in ecclesia vacare dicebatur, vestra freti auctoritate conferremus ut et promissionis veritas impleretur et sua Nicolao restitutio non deesset. Præbenda autem minime vacabat, quia jam Hugoni de Nunaut Lexoviensi Archidiacono vestris literis a me fuerat vestraque intercessione donata, neque mandatum vestrum nisi collatione prioris præbendæ poterat adimpleri. Ego igitur mandati vestri continentia diligenter inspecta, et Domini Baiocensis delegati a vobis judicis admonitione inductus, præbendam quæ primo promissa fuerat, contuli Nicolao, sicut in mandato vestro, quod adhuc extat, manifeste continetur expressum, ne hoc prætermisso minus obediens extitisse convincerer, et minus vestræ reverentiæ detulisse. Porro, quia prædicti Baiocensis collegæ propter varias causas excusati non venerant, sed suas ei vices literas commiserunt, ipse factum nostrum vestra qua fungebatur auctoritate nihilominus prosecutus, capitulo scripsit, quod a vobis mandatum fuerat, et a nobis effectum, ipsum Nicolaum in canonicum recipi præcepit, et ei omnia ad præbendam pertinentia conferri. Significavit etiam eis quod mandatum hoc vestrum nulla appellatione, nulla poterat contradictione suspendi, sicut etiam eis ex rescripto vestro

datum est intueri. In quo quum canonici minus obedientes extiterint, vestrum erit decernere quod debetis; Johannes tamen præbendam violenter detinere præsumpsit, quæsitoque præsidio laicæ potestatis, sæpedictum Nicolaum de bonis præbendæ suæ per regios exactores non est veritus amovere, appellatione quidem interposita dum Vesperæ cantarentur extra ecclesiam, nec adversario comparente, nec vestris quoque judicibus, quum etiam a vobis omnis appellandi sententia tolleretur. Super quo ne minus impleti mandati vestri posset in me culpa refundi, scribendum vobis censui quid obsistat ne hoc exemplo adversus majestatem vestram sæcularis potentiæ præsidia conquirantur, sed quia a vobis tam juste et sancte statum est, in virtute faciatis effectui mancipari. Ego vero pro violentia laicæ potestatis, quam ipse non timuit exercere adversus sententiam, quæ de vestra auctoritate processerat, a me debito anathematis vinculo solenniter est adstrictus, ipsoque innodatus vestro se conspectui præsentare præsumit. Cui etiam Archiepiscopus noster auctoritatem suam negare non potuit, licet ille favorem ipsius habeat, et ipse nobis fere in omnibus adversetur. Vindicate igitur in adversarium, et in temerarium et contemptorem et ejus complices severior majestatis Apostolicæ disciplina procedat, ne cæteris faciat simili audacia contemptores. Nullam quippe auctoritati pontificali reverentiam servant, sed injurias, quas irrogant, frustratoriæ appellationis velamine palliantes, adjecta nihilominus potentia sæculari quam redimunt, omne robur ecclesiasticæ institutionis infirmant, et quæ rigorem veræ virtutis habere videbantur enervant. Porro hoc in partibus nostris plurimum exerceri vestra sapientia non ignorat, sed sub mansuetudine et dissimulatione vestra, quotidie convalescit iniquitas

nihilque est vel modicum quod ecclesia Dei vindicare audeat, sed præsumptione sacrilega per potentiam sæcularem omnia disponuntur. Utinam Dominus meus extremum digiti sui saltem mihi porrigat ad momentum, ut in protectione libertatis ecclesiasticæ, quam semper zelavi, paucos dies qui mihi supersunt, liceat consummare.

115. *Ad Ricardum Wintoniensem Episcopum.*

Credo vos fideli retinere memoria, Willelmum de Ferendona, vicariam loci illius a tempore Thurstini, per totum ipsius et Ricardi filii ejus tempus, usque ad mea tempora possedisse. Quumque capellaniam mihi regis munificentia contulisset, defuncto postmodum Ricardo per quem Willelmus eo vivente tenuerat, ego vicariam eandem prædicto Willelmo in perpetuum concessi, quibusdam additis, quæ ipsius a me videbatur obsequium et devotio meruisse. Itaque eum vobis tanquam episcopo præsentavi, et vos id quod feceram benignius episcopali auctoritate firmastis. Postmodum vero ecclesiam nepoti nostro vestra intercessione donavi, salva nimirum Willelmo vicaria quam ei ante donaveram, idque nihilominus a vestra benignitate concessum est, idemque Willelmus aliquibus annis in eadem possessione permansit. Novissime placuit bonitati vestræ, ipsum de eadem ecclesia removere, et sine omni culpa ejus, quædam bona ipsius mobilia detinere. Teneor ergo pauperi, quia aliquandiu mihi fidelis extitit et devotus, nec ei negare possum, quin ego apud sanctitatem vestram pro eo quibus possum precibus intercedam. Videte quid facitis, quia non est bonum pro tam modica re, sacerdotis et episcopi conscientiam denigrari, meque ipsius

non potest inopia non movere, eo quod ipse aliquando se et sua meæ profusius exhibuit voluntati.

116. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

In episcopatu, cui Deo permittente deservio, quædam parochialis ecclesia vacans incidit, quam ego ad præsentationem cujusdam illustris viri Willelmi scilicet Marmiun, ad quem dicebatur patronatus ecclesiæ pertinere, idoneæ personæ, nullo penitus reclamante, donavi. Quumque is, cui dederam prædictam ecclesiam, aliquandiu pacifice possedisset, communi fatalitate decessit, et ego ad præsentationem ejusdem Willelmi sicut prius alii personæ prout oportuit, assignavi. Quumque is, cui novissimo donata fuerat, eam quatuor annis auctoritate ecclesiastica tenuisset, mota est ei qui præsentaverat quæstio patronatus in judicio sæculari, quum semper ab antiquo causæ hujusmodi ad episcopalem audientiam pertinerent. Evicit itaque calumniator ille patronatum ecclesiæ in curia sæculari, nihilque episcopali justitiæ reservatum. Postea vero movit adversus clericum, qui a me susceptus fuerat, quæstionem, exigens eum ab ecclesia penitus amoveri, quum ipse eo tempore, quo ille patronatum habebat, oblatus fuisset et ad ordines etiam aliquos ordinatus. Petebat autem ille non nomine quidem suo, sed cujusdam puellulæ quadriennis, cujus ille sperabat matrimonium in futurum licet cum ea, quia non poterat, nec sponsalia nec matrimonium contraxisset. Apud nos autem patronorum inopinata mutatio non consuevit mutationem facere clericorum, sed is, qui pro tempore repertus fuerat, novi successoris tenetur agnoscere patronatum. Quumque nos ad sententiam procedere pararemus, appellavit iste ad audientiam vestram diem nativitatis Domini

appellationi præfigens, et nos appellationi ad vos factæ debitam reverentiam conservantes, cætera vestræ reservavimus majestati.

117. *Ad Petrum Cardinalem.*

Quam sanctum, quam utile, quam totis visceribus amplectendum consilium mihi sapientia vestra contulit, quum in partibus nostris legationis gereretis officium, a vestra non reor excidisse memoria, nihilque fuit altius totius animi mei desiderio radicatum. Speravi cito posse proficere quod optabam, quia Dominus rex consilio et admonitione vestra ad solvendum æs alienum, quo maxime detinebar, regali mihi promisit munificentia subvenire, sed omnino manus a solutione continuit, concessoque publice episcopatu Waltero de Constantiis, si decederem vel abirem, ipsi solutionem pecuniæ relaxavit. Ipse vero Walterus per Radulfum Cancellarium regis et per se ipsum, pecuniam præsentem obtulit protinus numerandam, si tamen majores personas et majorem partem capituli de electione ipsius facerem convenire. Respondi ego plane id simoniacum esse, neque me quicquam ab eo in causam hujusmodi suscepturum. Indignatus est ille, nec adhuc temeraria cessavit ambitio, sed factus, me amoto, de regis permissione securior, vexationibus expellere studet, quem non potest pactionibus amovere. Trahor itaque funiculo triplici, dum me regis ira conculcat, et ministri ejus ex præcepto constanter affligunt; et Walterus, aliquibus canonicorum sibi adstrictis, tanquam Dominum se gerit et in pluribus possessorem. Quod jam eo usque processit ut major procurator regis, Willelmus scilicet filius Radulfi, nuper me omnibus reditibus meis et civitate mea et ipsa etiam episcopali sede privaverit,

et per alienas domos cum pane alieno per decem circiter dies compulit oberrare. Nondum tamen ausus sum episcopatum prorsus dimittere, ut veniente lupo dicerer aufugisse, sed interim ad ecclesiam sancti Victoris me censui transferendum, donec nuncios meos, quos ad Dominum Papam et ad vos destinavi, recipiam cum auxilio et consilio, quo me vestra voluit gratia convenire. Siquidem, licet sanus sim, tantam tamen debilitatem mihi senectus importat, ut nec septem passibus progredi possim vel equum ascendere vel descendere, nisi alienis manibus sublevatus.

118. *Ad Theodwinum Cardinalem.*

Quando in partibus nostris legationis administrastis officium, in magna me gratis familiaritate suscepistis et gratia, et in omni opportunitate mea liberali semper consilio et auxilio confovistis. Magnum siquidem est hoc, sed multo majus, quum nos ab invicem multa locorum distantia dimovisset, perseveravit affectio, et apud Apostolicam sedem negotiorum nostrorum studuistis semper tanquam specialis procurator existere, ne unquam postulatio vestra frustraretur desiderato effectu. Unde beneficentiæ vestræ non debeo immemor nec ingratus existere, sed si aliquoties benigna refulget occasio, ad debitas gratiarum actiones omne studium vobis et omnem impendere facultatem facio: interim quod possum, ad omne obsequium vestrum toto præparatus affectu, si quando mihi desiderati operis divina bonitas largiatur effectum. Ad præsens autem latores præsentium, nuncios meos, vobis solita commendo fiducia, ut negotia quæ portant, vestro utiliter studio compleantur. Multa sunt quæ portant, sed omni subnixa veritate,

et omni acceptione dignissima. Præsertim apud sanctos censores morum et ecclesiasticæ vindices honestatis. Poteritis autem ex transcriptis literarum, quæ portant Domino Papæ, cuncta cognoscere, et quo affectu cuncta dicantur, certissime judicare.

119. *Ad Dominum Papam Alexandrum.*

Latorem præsentium Fulconem plurimum sua vobis paupertas et innocentia commendabit, siquidem fortuna ejus et causam vestræ contigerit innotescere sanctitati. Est in episcopatu, cui Deo permittente deservio, parochialis quædam ecclesia, mediocres sane reditus habens, quos tamen omnes integre sacerdos, qui pro tempore ministrabat, nomine et jure presbyterii consueverat obtinere. Ego vero personatum ecclesiæ illius canonico nostro, Gervasio nomine, profusa liberalitate donavi, distributione tamen bonorum inter personam et vicarium, qui ecclesiæ deserviret, meo nimirum arbitrio reservata. Postmodum vero ad gerendam curam ecclesiæ, vicarium mihi Gervasius obtulit: qui aliquandiu demoratus in ecclesia, matrem domini Fundi, pueri quidem nobilis, duxit publice concubinam, susceptaque ex eo sobole, impudentem toti populo revelavit excessum, exultans quod quasi eam de legitimo matrimonio sustulisset, cæterisque concubinariis sacerdotibus insultans, quia nobiliori plus cæteris contubernio fuerit illustratus. Quum autem puer ille, Fundi scilicet Dominus, excrevisset, et ad legitimam pervenisset ætatem, quum nullo tamen ab eo sacerdoti quæstio moveretur, fuga clandestina discessit ab ecclesia, bonis ecclesiæ furtim quæ voluit absportatis. Porro quum aliquandiu sine sacerdote stetisset ecclesia, et absque pastore populus aberraret, requisitus edicto publico anathematisque

sententia, nusquam inventus est, latuitque quo potuit incestus, furti et sacrilegii criminibus involutus. Gervasius itaque vicarium quærere, ipsumque mihi offerre necessitate compulsus, mihi latorem præsentium diaconem in sacerdotem obtulit ordinandum, ut vicaria scilicet ecclesiæ perpetuo fungeretur, assignata nimirum ei beneficiorum congrua portione, arbitrio sane meo, quia ante consueverat aliis, quod necesse erat, cum nimia tribuere parcitate. Assignato itaque moderate quod oportere credidimus, Gervasius in manu mea fide corporaliter interveniente firmavit, se illud absque omni diminutione pacifice servaturum. Igitur ordinavi eum, ipsique curam populi commendavi, seditque per aliquot annos aut menses, ecclesiam cum pertinentiis suis debita sedulitate procurans. Verum quum filium concubinæ, puerum de quo dixi nobilem, casu decedere contigisset, ille securior audacter ad torum pristinæ spurcitiæ et iniquitatis reversus est, ecclesiamque, sicut prius obtinuerat, nisus est obtinere; Gervasio quidem manifeste præbente subsidium quia hic ei majorem singulis annis promittebat solvere pensionem. Tractus itaque præsentium lator in causam, coram archidiaconis nostris, ego enim non aderam, ubi quum iste Gervasii et concanonicorum ejus se sentiret instantia prægravari, ad vestram audientiam appellavit, et a quadragesima postea usque ad festum Apostolorum Petri et Pauli quiete in ecclesia ministravit. Ipsa autem die prædictus invasor violenter irrupit in ecclesiam, arreptisque vestimentis sacerdotalibus indutus, totum parochiale celebravit officium, et altare sanctum usurpatione sacrilega profanavit: super quo quum ad nostram vocatus præsentiam venire contemneret, et divina non desisteret officia celebrare, a nobis nimirum publice excommunicatus est, et ab omnibus

sanctæ ecclesiæ sequestratus. Non destitit tamen ideo nec desistit, sed suffragante Gervasio, quæsito præsidio laicæ potestatis insistit, et plebem cujusdam magnæ parochiæ secum reatu meritæ maledictionis involvit. Dictum est autem aliquando, quia se id facere Archiepiscopi auctoritate mentitur, quum ipse nunquam præsumpserit apparere, nec Archiepiscopus mihi verbum inde aliquod fecerit, nec ad ipsum pertinet episcopatum nostrum irrumpere, vel sine cognitione causæ nostros ligare vel absolvere sacerdotes.

120. *Ad Bartholomæum Exoniensem Episcopum.*

Quid ego fecerim vobis, aut quid sanctitas mihi vestra promiserit, a vestra non credo memoria decidisse. Dedi enim literas vobis ad regem, quibus ipse motus est adversum me, vobisque sumpta inde occasione capellaniam contulit, quia visum est ei me vobis eam penitus resignasse. Literas etiam transcribi fecit et transcriptum in Normanniam attulit. Quumque ego ab eo causam quærerem sublatæ mihi capellaniæ, respondit se non abstulisse mihi, sed me vobis eam literarum, quas protulit, testimonio contulisse, sustinere se velle quod feceram, quia in ea parte nolebat voluntati meæ in aliquo contraire. Meminisse debet prudentia vestra, vos a longinquo retro tempore rogasse me, ne proventum vestrum impediret, si modo quolibet impetrare possetis a Rege, salvo mihi scilicet per manum vestram omni capellaniæ reditu, dum vixero, et ego quidem sub hac expressa conditione feci vobis quicquid voluistis, sicut rex ipse publice profitetur. Neque ego aliquas a vobis requirere volui cautiones, quia sufficere mihi videbatur ad fidem verbum sacerdotis et episcopi, quod cum asseveratione plurima procedebat. Committo rem totam

conscientiæ vestræ ut ipsa inter me et vos justo judicio judicet, et vos ipse causam et judicium faciatis.

121. *Ad Gilbertum Lexoviensem Archidiaconum.*

Literas Domini regis et Domini Wintoniensis et vestras accepi, quibus nihil certi habeo, quod ad præsens valeam respondere. Vos quidem liberalitate mea aliquandiu usus estis, quæ sane vobis infructuosa non extitit, nec preces aliquas vobis oportuit aliquando porrigere, nec violentiam quamlibet attentare. Feci vobis de mera liberalitate quod feci contra multorum invidiam; neque gratiam meam aliqua dissuasio poterat impedire. Utinam mihi proveniat fructus inde quem merui, neque qui inviderunt ab initio rideant et insultent. Utinam via pristina placuisset vobis incedere; quia ubicunque partes suas potentia major apponit, metu potestatis prædicatur extortum. Et ego quidem in Burgundia nuntios excusationis meæ quos ad concilium misi, Hugonem scilicet nepotem meum et alios suspensus expecto: quumque venerint, in Normanniam redire disposui ubi vobis et aliis majore consilio respondere potero, sicut honori et utilitati ecclesiæ meæ apparuerit expedire. Interim sciatis mihi non esse liberum facere quod rogatis, quoniam hoc aliter constitutum est, et tam consensu capituli vestri et archiepiscopi, quam Romani pontificis auctoritate, anathemate simul interveniente firmatum, rescriptumque Apostolicum super hoc in Synodo nostra generaliter recitatum est, et omnium sacerdotum publice conniventia roboratum. Venient ergo tempora et rerum eventus multiplices, in quibus nobis poterit gratia divina præstare consilium, quia, sicut mihi videtur, a nobis demigrare paratis, nisi mea fueritis diligentia revocatus.

122. *Ad Ricardum Wintoniensem Episcopum.*

Misit mihi per Gilebertum Archidiaconum munificentia vestra quod scitis, quod ego siquidem gratanter accepi, gratius tamen accepturus, si non tam oblatum videretur, ut subveniret inopiæ, quam ut jocunda muneris qualitate potius illustraret. Et ego quidem munus alterius speciei de vestra caritate speraveram, quod rei qualitate potius quam pondere complaceret. Petieram etenim palefridum ut solito more vestro debilitati meæ vestra indulgentia provideret, sed vos ex privata causa, sicut conjicio, munus absconditum mittere voluistis, quanquam sua posset elegantia declarari. Et ego quidem quicquid illud fuerit, cum gratiarum actione retineo, et quamvis magnum extiterit: ego tamen de affectu et amplitudine animi vestri reputandum estimo liberalis beneficii quantitatem. Scio prosperitatem vestram multis sæpe vexationibus infestari, meisque passionibus compati; vestræ vos docent aliquando passiones; liberat autem quandoque pauperem Dominus a potente, et is cui non comparet adjutor, divino misericorditer adjutorio relevatur.

123. *Ad Nicolaum Meldensem Episcopum.*

Est apud vos Henricus quidam, qui de terra et episcopatu meo ortus, ab alieno episcopo inordinate ad ordines, quos habuit, promotus est. Postmodum autem procedente tempore, multis flagitiis involutus, de falsa publice moneta convictus est et confessus, quam per totam civitatem Baiocensem publice non timebat expendere, et incautos detestabili malitia defraudare. Captus est et a regiis apparitoribus retrusus in carcerem, et ferreis nimirum compedibus

alligatus. Tandem vero magno studio et labore per episcopum civitatis liberatus est, abjurata nimirum in perpetuum tota provincia Normannorum, atque ad Archiepiscopum perductus est. A quo rupto coronæ circulo, revolutis a capite sacerdotalibus indumentis, exordinatus est, et de tota terra incontinenter ejectus. Habet fratrem Amfredum nomine, qui nec minoribus nec parcioribus flagitiis irretitus, quicquid a me vel ab aliis dominis suis obtinebat amisso, quum diutius latitans non præsumeret apparere, novissime post quindecim annos a principe nostro literas remissionis dictus est obtinere, in quibus ei pax publica concessa est, et ut a pristinis dominis suis pristinas hæreditates suas reciperet, si eas posset modis quibuslibet impetrare. Susceptus igitur ab aliis, a me novissime vix multis intercessoribus recipi potuit, ipsique hæreditatem quam ab ecclesia nostra antiquitas habuerat, reddidi, pacta nimirum ob restitutionem amissæ in perpetuum hæreditatis summa pecuniæ, quam ipse juravit se certo tempore soluturum et H. frater ejus, qui omni studio et tota fide procurabat ejus negotium, fidejussit et se nisi ille solveret, præfixo tempore soluturum juramento corporali interveniente firmavit. Transactum est omne tempus, neque quod ab iis promissum fuerat est impletum. Hæc igitur omnia, dilecte nobis, caritati vestræ scribenda censui et veraciter indicanda, ut Henricum qui vobiscum est, mihi secundum justitiam satisfacere compellatis, et vobis mores ejus protestatione mea et literis meis certius innotescant.

124. *Ad Abbatem Claræ-Vallensem.*

Ricardus de Blossevilla, Abbas quondam Mortui Maris, de episcopatu nostro extitit oriundus, et ab inferioribus ordinibus usque ad gradum sacerdotii per nostræ manus impositionem promotus est, et ad certum beneficii titulum institutus. Qui quum in laicali habitu apud nos laudabiliter militasset, arctioris vitæ jugo suppositus, in habitu vestro morum prærogativa meruit commendari. Et tandem ob insignis vitæ merita in Abbatis locum promotus, in ordine vestro, quasi lucerna resplenduit et subditis profuit bonæ conversationis exemplo, et in amorem totius ordinis vestri corda principum inclinavit. Sed insidiator diabolus, qui justorum consuevit actibus invidere et maculam in electis ponere machinatur: in illum quorundam malignorum linguas exacuit, qui falsis adinventionibus ejus opinionem apud bonos et graves vulneraverunt, ea solum intentione eum movere nitentes, ut amoto ipso liberius ab ordinis tramite deviarent. Inde est quod in ejus amotione sanctitatem vestram credimus circumventam, nec ad plenum, sicut credimus, rei veritas vobis innotuit. Quum etiam Abbas Uscanensis contra eum dicatur latentis invidiæ facibus agitari, et detractoribus ejus aurem facilius quam deceret inclinasse. Illud etiam est quod miramur, quod illum post amotionem suam præfato Abbati custodiendum remisistis: qui eum minus bene tractare dicitur et arctiorem ei custodiam quam oporteat adhibere. Supplicamus itaque sanctitati vestræ, ut ei locum alium provideatis ubi tractetur honestius, et placatiori animo Domino valeat deservire. Sciatis enim principi nostro plurimum complacere, eumque in magnis vobis esse obnoxium,

si ei quem tamdiu brachiis sinceræ caritatis amplexus est, statum utilem provideritis et honestum.

125. *Ad Willelmum Remensem Archiepiscopum.*

Motus est adversum me, sicut nostis, a plurimo jam tempore dominus noster Rex, et me tam per se quam per justiciarios suos multipliciter non desinit infestare. Unde unum de nepotibus meis de terra fecit duobus annis exulare, quem ad intercessionem vestram vestra et domini nostri Comitis T. fratris vestri gratia reconciliavit, si tamen speratam invenisset reconciliatio veritatem. Pulsus itaque denuo novissime per vestrum et ipsius studium obtinuit secundæ reconciliationis accessum. Hæret igitur, sicut potest, neque quicquam certæ severitatis invenit, sed inter exilium et carcerem eventum fortunæ tremebundus expectat. Tenet et alium simili mihi sanguinis necessitate conjunctum. Quem, sine mandato quidem ipsius, per plurimos jam menses major minister ejus carceris clausit ergastulo: sciens se in hoc ipsius gratiam promereri. Agnita vero iniquitate malorum considerans rex eum sine omni causa fuisse afflictum promisit, quod ipsum omnino dimitteret et fecisset, ut credo, si præsentem haberet per quem posset dimissio consummari. Super quo expertæ mihi in multis et maximis benignitati vestræ et gratiæ supplico, ut si opportuna vobis occasio forte refulserit; istum quoque facta pro eo ad regem supplicatio liberet et absolvat. Credo efficiendum facile, quia si ad innocentis liberationem justitia sua non sufficit, quod deerit, reverentiæ vestræ gratia consummabit.

126. *Ad Ricardum Abrincensem Episcopum et collegas ejus.*

Orta est in episcopatu nostro jam diu in monasterio Gristonensi controversia super Abbatis electione, quæ præcedentibus appellationibus ad Romanum usque Pontificem perlata est, et ab ipso ad cognitionem Domini Pictaviensis ad decidendam cum quibusdam aliis judicibus delegata. Quumque ipse ad decisionem causæ cum his, quos Dominus Papa collegas adjunxerat, studiosius, prout oportebat, intenderet, quia de longinquo causæ instructionem quæri oportebat, nec facile usque ad ipsius præsentiam poterat pervenire, injunxit nobis vice sua partium allegationem audire et testium depositiones recipere, ipsasque consignatas, sicut moris est, ei remittere, ut ita secundum ordinem judiciarium posset ad sententiam pervenire. Ego vero super causa sollicitus sum, quia monasterium in episcopatu nostro est, et ad pacem domus illius libentissime vellem intendere, quoniam dominus rex adversus fratres loci illius plurimum motus est: nam designationi voluntatis ejus non volunt tanquam cæteri consentire. Quia igitur causam ex parte ad experientiam vestram gratia divina produxit: gaudemus in domino de prudentia et religione vestra certissime confidentes; quoniam et justitiam Dei et libertatem ecclesiæ studebitis conservare: et nos vobis preces affectuosas porrigimus, ut ad pacem monasterii et gratiam principis observandam diligentius intendatis: quoniam sine gratia ejus res nisi cum magno non potest procedere detrimento.

127. *Ad Henricum Regem Anglorum.*

Reverentissimo domino suo Henrico, Dei gratia illustri et glorioso Anglorum regi, frater Arnulfus Sancti Victoris Parisiensis Canonicus, utinam Regularis—Est in episcopatu Lexoviensi quædam parochialis ecclesia apud Wacevum, quam ego in manu mea possessam diutius canonicis regularibus Sancti Victoris, priusquam ad eos demigrassem, donavi, ut sumptibus meis aliqua ex parte proficere posset, quum ego ad illam ecclesiam pertransissem. Res modica est, sed ego non habebam in quo amplius possem pauperibus fratribus subvenire. Verum in eadem parochia quædam præbenda est Lexoviensis ecclesiæ, quam ego Hugoni de Nunant nepoti meo donavi; sicut ei consueveram quicquid fere possem profusa liberalitate donare; neque quicquam ejusmodi in regione illa posset ei gratius obvenire. Lætatus est ille, et ego nihilominus exultavi, sperans de liberalitate mea, præsertim apud nepotem meum, mihi fructum in tempore provenire. Sed me quidem debuerant præcedentium temporum experimenta docuisse: nisi me indulgentiæ gratia et tam proximæ cognationis compassio seduxisset. Ego enim ex sorore natum parvulum indulgentius educavi, erudiri feci diligentius, reditibus ampliavi, mihique ad conferendum ei omnes ultro copia respondebat. Donavi siquidem ei in episcopatu Lexoviensi quinque ecclesias circiter centum librarum, præbendam in ecclesia Lexoviensi nihilominus quinquaginta librarum, Archidiaconatum centum librarum et eo amplius, quantum proficere poterant tam rapinæ quam injuriæ subjectorum, nec me a largitionibus hujusmodi frequens ipsius ingratitudo poterat cohibere: sed super caput ejus carbones inutiles semper omni studio congere-

bam. Præterea quod de jure archidiaconatus hominio mihi et fideligia tenebatur obnoxius, quem ipse mihi utinam fideliore memoria conservasset. Expertus sum quod fidem in eo non creat affectio, sed cupiditas aut superioris reverentia potestatis. Utimini eo secure, quia majestatem vestram fallere non audebit, sed ad omnem executionem beneplaciti vestri prosequente metu non devotione vel fide prompta semper operatione procedat. Speraveram quod saltem novissima mea propitiante vellet oculo contemplari, et super senectute et debilitate mea et paupertate spontanea moveretur, adeo ut etiam sua mihi liberaliter in omni opportunitate exhiberet meæque de his quæ ego ei contuleram, misericorditer in tempore vellet inopiæ subvenire, sed ipse partem modici beneficii, quod ego pauperibus canonicis contuleram, immo quasi reservaveram mihi, absque omni judicio violenter usurpat, licet prædicti fratres aliquibus annis et prædecessores eorum ab antiquo pacifice possedissent. Requisivi eum instantius, ut justitiam Dei et pauperis ecclesiæ meamque consideraret inopiam, sed in nullo proficere potui, quin manus audaces semper præsumeret extendere, et jus pauperum impudentius usurpare. Est etiam in parochia illa capellula quædam nullos parochianos, nullos prorsus reditus habens, ad jus nimirum parochialis ecclesiæ pertinens ab antiquo, quam omni fere servitio et edificio destitutam, sacerdos ejusdem parochiæ solus, quum vellet, devotionis intuitu visitabat, nec divina ibi honeste poterant officia celebrari, quam Fulco decanus, ad quem tunc parochia pertinebat, jure parochiali reedificavit attentius et in cimeteriolo veteri quod ibi adjacebat, domos suas construxit, usu sepulturæ sicut voluit transformato, de qua siquidem capella Hugo de Nunaunt sacerdotem acceptis clavi-

bus et sacerdotalibus indumentis amovit, quum sacerdos ad Romanam ecclesiam antea provocasset, et in ipso facto nihilominus insisteret appellare. Ibique postmodum continue fecit sacerdotem suum divina in anathemate celebrare, et parochianos a manu sacerdotis, quem semper agnoverant, violenter amovet et amovit, sed ut si veniret ad causam, hac arte fungi possessoris commodo videretur. Ad vos itaque spectat tantæ enormitatis correptio, neque ego spero aliquod aliunde remedium, quia longinquum et sumptuosum est pauperibus ecclesiæ Romanæ subsidium, licet nos de ipsius non oporteat auxilio desperare. Apponite itaque regiam manum vestram, de qua magis confidimus, et effrenatam hominis avaritiam cohibere, et fratres illos ecclesiam illam cum capella et pertinentiis in antiqua integritate sua faciatis pacifice possidere, sicut antecessores eorum constiterit longo tempore possedisse et ipsi duobus aut tribus annis novissimis possederunt, fructusque perceptos nihilominus eum restituere faciatis. Reminiscatur, obsecro, Dominus meus, quomodo in novissimo discessu meo apud Gisortium lætificavit animam meam et me de copia munificentiæ suæ dimiserit affluentem. Adjuncto siquidem verbo regiæ promissionis quod me in omni opportunitate mea deinceps adjuvaret, sicut unquam liberius fecerat, et omnem a me molestiam propulsaret. Nihil enim mihi constat esse molestius, quam quod is qui stare mecum per omnia debuisset, id, in quo fratres lætificare speraveram, implacabili malignitate perturbat, et usque in sepulchrum persequi indefessa cupiditate non cessat, neque se perturbare juris ordinem reveretur, quum hi qui possidebant non debuerint absque judicio spoliari. Primo itaque restituendi sunt cum fructibus scilicet et expensis, et pœna ei pro excessu arbi-

trio judicis infligenda. Reddat itaque me mihi dominus meus, et speratam requiem misericordi bonitate restituat, ut de his quæ ad deum sunt, liceat mihi sine molestia cogitare. Nihil enim est quod magis regiæ conveniat majestati quam audaciam reprimere superborum et suam justis ac simplicibus justitiam virtute regia conservare.

128. *Ad Henricum Regem Anglorum.*

Præcepistis Willelmo filio Radulfi in discessu meo a vobis apud Gisortium ut mihi ducentas libras ancl. faceret numerare pro catallis meis et ipse præceptum vestrum debita hilaritate suscepit: mihi se facturum cum tanta asseveratione promisit, ut ego nullatenus crediderim dubitandum. Assignavit itaque mihi diem ad mediam Augusti, et ego tunc ad eum misi cum omni fiducia nec recepi. Assignavit mihi alium diem ad festum scilicet sancti Michaelis, neque tunc quoque mihi quicquam solutum est, neque dies ad solvendum ulterius assignata. Frustratus itaque toties, nihil aliud credidi mihi faciendum nisi ad benignitatem vestram nuntium destinare, ut quod a vobis tam liberaliter concessum est, suo veraciter consummari faciatis effectu. Præterea ducentas libras annuas mihi magnificentia vestra constituit, quamdiu viverem in præpositura Lexoviensi, assensu et sigillo nimirum vestro, et canonicorum et archiepiscopi prosequente, quatuor quidem terminis singulis, scilicet tribus mensibus persolvendas, ut scilicet in hac festivitate sancti Michaelis mihi quarta portio solveretur: reliquis portionibus suo tempore persolvendis: neque enim episcopatus dilatio, sicut scitis, in meum debet cedere detrimentum; sed oportet ut vos faciatis absque dilatione et diminutione persolvi. Præcipiat

igitur magnificentia vestra utrumque fieri quia Hugo de Nunaunt plurimum terruisset me, si ego verbis ipsius credendum esse putarem. Venit enim Parisios, et quum ego verba lætitiæ exspectarem, dixit mihi coram Abbate et fratribus promissiones vestras mihi nullatenus adimplendas, mihique necessarium esse aliunde parare subsidium.

129. *Ad Ricardum Wintoniensem Episcopum.*

Venerabili et dilecto Domino et patri suo Ricardo, Dei gratia Wintoniensi Episcopo, frater Arnulfus Sancti Victoris Parisiensis Canonicus utinam regularis, prosperitatem, gloriam, et salutem.—A multo tempore sinceræ caritatis vobis me gratia copulavit, exortaque dilectio jocundis semper proficere non destitit incrementis. Quumque nos regalibus consiliis prospera consilia sæpius admoveret, multoque complexu gratia nos regalis astringeret, nulla unquam ultro citroque processit invidia, sed uterque de alterius, tanquam de proprio commodo, lætabatur. Laudabile erat hoc et a multis etiam mirabile dicebatur, quia in familiaritate principum consortem non admittit invidia, sed repulsam alterius alter suum semper putat esse proventum, sibique de illius remotione gratiam duplicari, et sibi accrescere quicquid alteri constiterit imminutum. Porro inter nos de alterutrius commodo fides mutua lætabatur, nec aliquid alterum ab exhibitione verioris gratiæ poterat absterrere, sed libertatem suam in omnibus veritas inconcussa servabat, ipsamque sinceritatem suam manifestis argumentis approbare gaudebat. Vidi ego principem nostrum aliquando falsis delationibus exasperatum adversum me, quum etiam aliqua in me indignationis suæ quasi spicula contorqueret, mitiga-

tum a vobis, adeo ut in gratiam quandoque iracundia verteretur, et securitas aliquibus præstaretur, commune mecum miscere colloquium et publicæ familiaritatis et gratiam copulare. In quo sæpe virtus et veritas vestræ dilectionis emicuit, quæ non meticulose cedere, sed potius cum mansuetudine et virtute gaudebat occurrere, et me ad Domini mei gratiam revocare. Gaudebamus invicem, sibique par dilectio pari concurrebat occursu, studens communi gratiæ communibus utilitatibus et obsequiis inservire: quia si usque ad hæc tempora inter nos fidelibus constat studiis observatum, ex hoc nunc me diligentius oportet attendere, ut jocundo fidelis perseverantia consummetur effectu. Nostis diu est quod proposueram ad religiosam vitam propitiante Domino demigrare, sed me multis obstaculis sæcularis occupatio detinuit impeditum. Vici tamen tandem omnia per gratiam Dei et ad ecclesiam Sancti Victoris Parisiensis, relictis omnibus quæ processum et provectum meum videbantur impedire, transivi, Christumque pauperem et nudum, pauper et nudus, ipso docente et trahente, secutus sum, humilitati illius et paupertati cupiens omni desiderio conformari, quantum scilicet mihi fuerit ipsius misericordia præeunte donatum. Vixi hactenus carni meæ, minus de animæ salute sollicitus, proponens tamen et desiderans novissima saltem mea Domino consecrare: quod propositum usque ad tempus opportunum divina misericordia conservavit, et me debilitatum quidem senectute, toto sanum corpore et omnibus membris, tota etiam animi virtute, conduxit, quoniam in hac spe semper confitebar domino et in ipsius misericordia respirabam. Benedictus autem Deus, qui viam hanc vobis meo assignavit exemplo, et quamcunque vobis mihique paraverit, ad eundem conducat divinæ felicitatis effectum.

130. *Ad Henricum Regem Angliæ.*

Henrico Dei gratia illustri et glorioso regi Angliæ Domino suo carissimo, frater Arnulfulus sancti Victoris Parisiensis Canonicus utinam regularis, prosperitatem, gloriam et salutem :—Dum adhuc in Normannia apud vos commorarer, commovebat plerumque adversum me ex falsis causis indignationem vestram malignitas iniquorum suggerentium vobis aliquid me contra gloriam vestram cogitare vel velle, sed falsitatem suam nullis unquam operibus certam facere potuerunt. Testis siquidem est Deus quem criminale est in testimonium falsitatis offerre, nunquam me, quæcunque processisset occasio, in detrimentum honoris vestri aliquid effecisse, sed antiquæ beneficientiæ vestræ semper memoria prævalebat. Licet autem ex ea causa multa mihi incommoda processissent, nihil unquam mihi molestius extitit, quam quod animum vestrum adversum me commotum noveram, neque licebat mihi de dilectionis vestræ conscientia, sicut semper feceram, exultare. Quicquid autem dixerint, non potuerunt tamen adversum me apud bonitatem vestram usque ad aliquod grave scandalum eorum mendacia convalere. Servastis me semper et ab omnibus exhibuistis illæsum tabescentibus siquidem adversariis meis quia invidia eorum adversum me optato non gaudebat effectu. Vivebat in animo vestro indeficiens quidem regiæ bonitatis igniculus, qui sinceritatem perpetuæ fidei meæ et pristini sedulitatem obsequii vobis ad memoriam revocabat, nec sinebat usquequaque prævalere malitiam, sed adversus omnia mendacia eorum vivax præcedentium meritorum meorum memoria refulgebat. Si enim prorsus pristinæ caritatis expirasset affectio, non tam facili resurgere potuisset affectu, sed in novissimo

discessu meo apud Gisortium benignitas perfecte mihi regiæ bonitatis arrisit. Licet autem discessum meum prosequi regalis munificentiæ copia non tardaret, inter omnia tamen, immo super omnia majus habui, quod deinceps semper veritatem mihi perennis gratiæ repromisit. Hoc enim est, in cujus frequenti commemoratione respiro, quod me jam non tam corporalibus sentio Domini mei, quam sinceræ brachiis caritatis amplexari. Dulce siquidem mihi erit, si moriens inter ulnas domini mei videar obdormiisse, si me ad præsentiam superioris Domini vestra morientem gratia prosequatur. Hoc est quod omnibus hodie negotiis expeditus, misericordiam ipsius frequentibus suspiriis implorare non cesso, quatinus post præsentis regni gubernacula quæ tenetis, eterni regni gaudia vobis largiatur, meque vobis tanquam vernaculum vestrum jubeat miseratus adjungi. Vivat dominus meus, et omnem semper invidiam gloriosus excedat. Scio meminisse vos, quia sermo bonus de mera sinceri cordis veritate processit, quod me deinceps semper benignus audiretis, nec repulsam a vobis moderata precatio reportaret. Magnum hoc reputavi sed maximum, nec me tamen improbum liberalis promissio faciet exactorem: sed cum hilari semper verecundia supplicabo. Ne vero tædium prolixitas epistolæ generaret, quæ postulo nuntio viva voce vobis indicanda commisi. Pauca quidem et parva sunt, si ad Domini mei excellentiam referantur, sed mihi maximum erit, quicquid de propitia Domini mei liberalitate proveniet.

131. *Excusatio cujusdam Episcopi.*

Temporis brevitas, improvisa vocatio, transitus suspecti, improba prædonum molestia, medicamenti sol-

licitudo adhibita, excusabiles paternitati vestræ nos reddunt. Electioni vero factæ et consecrationi faciendæ, benignum ex affectu præbemus assensum. Quoniam quidem persona et moribus pollet, et industria viget et scientia floret, credimus quod in domo Dei plantata adjutrice divinitate florebit et faciet fructum.

NOTÆ ET VARIÆ LECTIONES.

In editione Arnulfi typis vulgata duæ sunt homiliæ, carmina 16, epistolæ 71: in hac nostra homiliæ quatuor, carmina 16, epistolæ 131, e codice MSto S. Johan. Oxon. erutæ. Præter istum codicem duo alii in Bibliotheca Bodleiana servati, haud multas epistolas continent quæ in editione Paris. desint. Catalogus Bibliothecæ Regiæ Paris. tres alios codices indicant, quos nondum inspexi, id quod post aliquot menses facere non omittam, cum iterum, crumena non deficiente, et opportunitate suppetente, in Galliam redibo. Codicem Sti Johannis totum contuli cum textu olim edito: codices Bodleianos aliquando inspexi.

Sequuntur variæ lectiones quæ in editione Paris. [B] et cod. S. Johan. [C] inveniuntur.

Hom. I, p. 1, l. 16 intelligentiæ—diligentiæ C = p. 2, l. 13 moram—morem B = l. 15 consequimur—consequuntur B = p. 3, l. 20 ejus—et B = l. 21 enim—om. B = p. 6, l. 26 servetur—servietur B = l. 30 est—om. B = p. 7, l. 19 est—om. B = p. 8, l. 3 indultam—indultas B = l. 18 quoniam—quam C = p. 9, l. 31 retardare—Omnia quæ hanc vocem sequuntur, usque ad Hom. II, p. 10, l. 12 convalescat, om. B et duæ homiliæ unam faciunt. At pro omissis post *retardare*, habet B sequentia: "Participes consola-

tionum facti sumus. Justum est ut socii simus etiam tribulationum. Ex adverso stare nos convenit, et opponere nosmetipsos murum pro domo Israel. Quod sane nobis non facile quidem, sed possibile tamen erit, si constanter in unitate catholica consenserimus permanere. Porro fratres sumus ex eodem patre &c" = p. 10, l. 23 enim—om. B = p. 12, l. 33 est—om. B = p. 13, l. 25 sine concertatione—vel sine concertatione B = p. 14, l. 7 non—om. B = l. 24 sustinemur—sustinentur B = l. 26 quotidie—om. B = p. 15, l. 3 reputaverimus—reputamus C = p. 16, l. 6 non—om. B.

Hom. III, p. 18, l. 13 est—et B = l. 19 non—om. B = l. 20 non—om. B = p. 20, l. 22 suæ—om. B = l. 33 regis s. q. r. es—regi s. q. r. est C = p. 21, l. 14 tuis—ejus B = p. 23, l. 15 depellantur—Pro iis quæ hanc vocem sequuntur, habet B fundatum est vestro tempore non solvetur &c. *usque ad* Valeat in Christo sanctitas vestra, vide Epist. 3, p. 83, l. 26.

Homilia IV in editis omnino omissá est.

Carmina p. 35, l. 30 teneros—ternos B = p. 36, l. 23 Non—Num B = p. 38, l. 23 utrinque—utrumque C = p. 40, l. 7 et 8—Hos duos versus om. B = l. 10 Anglos—illos B.

Ep. 4, p. 85, l. 20 in—om. B = l. 33 accessu—assensu C = p. 86, l. 6 ingenuæ—om. B.

Ep. 6, Hæc et quæ sequitur epistola in editis et in C ad Papam Adrianum inscriptæ sunt: primus eas Eugenio ex conjectura restituit Bouquet in Scripp. Franc. collect. = p. 87, l. 30 potentia—impotentia B.

Ep. 7, p. 88, l. 19 optatas—om. B = l. 21 revera—om. B = l. 23 quæ—quo B = l. 30 præstant—parant B.

Ep. 8, p. 89, l. 27 quæ tanto—quanto B = l. 33 quodammodo—om. B.

Ep. 10, p. 92, l. 17 est—om. B = l. 21 multum—multus B = l. 33 deliciæ—divitiæ B = p. 93, l. 10 profecisse—processisse C.

Ep. 11, p. 94, l. 6 diminuta—deminuta B = l. 27 copulari—epulari C = l. 28 superasti—sperasti C.

Ep. 12, p. 97, l. 2 sed—si C.

Ep. 15, p. 100, l. 5 moleste—modeste B.

Ep. 16, *Ad Radulfum*—Ad Ric. D.

Ep. 18, p. 103, l. 18, spiritualis—specialis B.

Ep. 19, p. 104, l. 22 Cambri—cambium B = l. 24 crediderunt—crediderit B.

Ep. 21, p. 109, l. 6 tamen—om. B = l. 18 refulserit—refulsit B = l. 28 claruerunt—claruerint' B = p. 110, l. 4 est—om. B = l. 16 et—om. B = l. 33 consummabitur—consummabit B.

Ep. 22, p. 113, l. 15 nobilissimum—om. B = p. 114, l. 12 Nos—Non B = p. 115, l. 3 immo ut—ut in uno C = l. 10 accepit—abjecit B = l. 24 ei—et B.

Ep. 23, p. 118, l. 18 in jura . . . . debebant—jure . . . debent B = p. 119, l. 10 conjuncta p. reformaret—comminuta p. reformet B = p. 120 l. 3 et—om. B.

Ep. 24, p. 123, l. 4 valeat—audeat C = l. 25 malignitate—voluntate C = p. 124, l. 4 voluntatem—voluptatem B = l. 16 præparatos—præparator B = p. 128, l. 12 proventuræ—venturæ B.

Ep. 25, p. 131, l. 1 contulerit—contulit B.

Ep. 26, p. 132, l. 29 enim—om. B = p. 133, l. 19 vir illustris eloquentiæ—om. B = p. 102, l. 16 declinaret—destinaret B = l. 32 pruveniensium—pruuen. B.

Ep. 30, p. 138, l. 28 facile—facie B = l. 30 Venio—Nemo B.

Ep. 31, p. 143, l. 6 Metiuntur—metuntur B.

Ep. 42, p. 173, l. 10 magna—om. B.

Ep. 43, p. 176, l. 19 malum—in malum B = l. 23 est—om. B.

Ep. 46, p. 179, l. 1 contulisset—tulisset B = l. 17 per quam—qua B.

Ep. 50, *de Almar.*—*de Alm.* B = p. 184, l. 8 plerumque—om. B.

Ep. 51, p. 186, l. 16 quantalibet—quamlibet B = p. 187, l. 2 est—om. B.

Ep. 56, p. 194, l. 21 proficit—sufficit C = p. 196, l. 11 immo—aut C.

Ep. 57, p. 198, l. 17 non—om. B = l. 19 tamen—om. B = p. 199, l. 10 ipso—suo B = l. 24 requievit—conquievit C.

Ep. 58, p. 201, l. 30 in—om. B.

Ep. 59, p. 202, l. 9 quidem—quidam B.

Ep. 61, p. 203, l. 10 Garnerum—Garinum C.

Ep. 65, p. 207, l. 25 illucesceret—illuceret B = p. 208, l. 35 profectum—proventum C = p. 209, l. 18 perduxi—perduxit B.

Ep. 66, p. 211, l. 12 etiam—om. B.

Ep. 75, p. 226, l. 20 diffitentem—diffidentem B.

Ep. 79, p. 229, l. 24 de Episcopatu nostro—Episcopatus nostri B = p. 230, l. 24 sanctum—secundum B = l. 31 quendam—quondam B = 35 nec—vel B.

Ep. 81, p. 232, l. 16 Rothomagensi—Rotroco C.

Ep. 82, p. 233, l. 26 apud—om. B = p. 234, l. 13 informem—*formem B.

FINIS.

SUPPLEMENTUM AD ARNULFUM.

Impressis jam epistolis, incidi in codicem epistolarum Gilberti Foliot Bodleianum, ubi occurrunt quædam, quæ in codice S. Joannis frustra quæras, ad epistolam 56 referenda. Istius epistolæ [199 in cod. Bodleiano antedicto] inscriptio est. *Venerando domino et patri suo Alexandro catholicæ ecclesiæ summo pontifici, Arnulfus Lexoviensis ecclesiæ humilis minister, salutem cum omni debitæ obedientiæ et devotionis affectu.*

Item, pag. 194, l. 3. Post 'cumularit' occurrunt sequentia: "Excedit in eo apud nos omnem comparationis invidiam quum frugalitatis industria, tum prærogativa scientiæ, tum religionis integritas, adeo ut neminem ei cujusquam audeat præferre præsumptio, vel cujusquam præstantioribus meritis merita coæquare."

Finem epistolæ, quæ quodammodo in editis imperfecta est, supplet idem codex Bodleianus, his verbis:

"Pro persona igitur de qua scribimus, non nostra tantum, sed publica totius regni, immo etiam regnorum desideria pietatis vestræ genibus advolvuntur, ut secundum datum vobis a Deo spiritum, justitiam ejus conservetis illæsam, aut si quid etiam imperfectionis est, oculi vestri videant æquitatem, quia nihil de indulgentiæ beneficio consequetur, quod non excedentia personæ merita recompensent. Et nos qui-

dem ista ad nullius suggillationem, sed ad hujus proventium scribenda censuimus, quia et apostolica huic poterit gratia providere, et aliis nihilominus de ejusdem discretionis et mansuetudinis copia subvenire. Dominus personam vestram ecclesiæ suæ per tempora multa conservet incolumem.